





Blase gladiolo... in sua vita...

Aug. in serm. fol. 53. titl.

Lectiones divinae tonitrua sunt  
in aere diaboli: orationes devote  
effusa jacula sunt contra daemones.  
Per lectiones relinquitur a tenta-  
tore: per orationes fugantur ad-  
versarios.

Flodorus

Qui vult cum deo semper esse, & frequenter  
legere & frequenter orare debet. Nam cum  
oramus tunc cum deo loquimur cum vero  
legimus deus nobiscum loquitur.

x. Aus. Magister hunc locum in manu...  
gebührt. Aus. Coburg. Falbau.

Ut tua pertingat, penetretq. p.ano celum.  
Corde sit ex puro, sit brevis, atq. frequens.

Quae mandata principis hanc tacitam  
habent conditionem si peccata veritate  
Semmelbauq. mitantur. Ch 5 II





*Fm 881 b 3*

FORMVLÆ

P R E C V M

S V M T A R V M E X L E -

C T I O N I B V S Q V Æ V S I -

T A T O M O R E I N E C C L E -

fia leguntur,

C O M M O N E F A C I E N T E S

D E P R A E C I P V I S D O C T R I -

næ partibus, & monstrantes vsum doctrinæ in

exercitijs veræ pœnitentiæ & inuocationis:

Conscriptæ per

D. Ioachimum Curæum.

I 5



97.

Impensis Valentini Vœgelini.

C V M P R I V I L E G I O .









A D L E C T O R E M  
A M A N T E M C H R I S T I A -  
næ pietatis & modestiæ

P R O O E M I V M.

ET SI INGENS EST HVMA-  
ni animi superbia, & in rebus se-  
cundis quasi in profunda temulentia,  
Dei & rerum diuinarum neglectio &  
contemptus: tamen rursus hæc infirma  
natura hominum, tanta mole calami-  
tatum aut etiam ærumnarum veluti  
Oceano obruitur, vt omnes non cy-  
clopicè efferi, tandem cum humana  
præsidia ipsos destituunt, in cælum  
suspiciant, oculis, mente & lingua æter-  
num illud numen, à quo hanc rerum  
machinam gubernari statuunt, requi-  
rant. Ita meritò commendatur vox  
sapientis senis præeuntis & præfantis  
suæ familiæ ac soboli pias preces, qui  
dixit: ὄχεως πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄθρο-  
ποι. Laude etiam & memoria digna  
sunt similia præcepta inuitantia homi-  
nes ad pietatem ac inuocationis curā,  
vt illa: εὐφημία εὐκολώτατος πόρων: εὐφη-  
μίας



P R O O E M I V M.

μία παρὰ σπόνδαιοι κάλλιπον, & illa Cygnea  
 vox Socratis morituri, δὲ τελευταῖαν ἐν  
 εὐφημία. Iubet decedentes ex hac vita  
 emigrare inter pia suspiria, gemitus &  
 compellationes ad D E V M. Sed non  
 est humanæ sapientiæ aut virtutis o-  
 pus, vera Dei inuocatio. In poëmate  
 Iupiter quæritur & cum magna sollici-  
 tudine colloquiū ipsius expetitur. Sed  
 ipse & cum eo totus Deorum chorus  
 cœlo relicto vacuo fuerat ad epulas  
 Æthiopicas expatiatus, aut vt alter  
 scripsit, non audit nisi illos, qui tunc  
 eum compellant, quando per cancel-  
 los in terram despicit. Ideo illa ærum-  
 nosa mulier in Tragœdia horribiliter  
 fremens queritur, se iam dudum allo-  
 qui ignavos opitulatores. Pingunt istæ  
 imagines humanæ mentis cogitatio-  
 nes, fluctus & dubitationes, quib. tan-  
 dem omnis pietas & consolatio excu-  
 titur & extinguitur. In sola vero Eccle-  
 sia D E I monstratur verum & salutare  
 iter in cœlum, ad colloquiū & conspe-  
 ctum diuinitatis. Habemus enim Pon-  
 tificem



P R O O B M I V M .

tificem qui est *Ἰσαεχος* nostrarum pre-  
cationum, qui non solum verba nobis  
præfatur, sicut pia mater teneræ & bal-  
butienti infantia, sed etiam ipse lucens  
in mente piorum, monstrat essentiam  
& voluntatem veri Dei, ignotam om-  
nibus creaturis, & effuso suo Spiritu,  
qui est spiritus gratiæ & precum, exci-  
tat salutare motus, ardens desiderium  
illius suavissimi colloquij, dilectionem  
DEI, læticiam & alias virtutes: Ipse  
pavidas mentes ad Patrem ducit: lin-  
guam trepidantem regit: & in arcano  
consilio diuinitatis pro nobis interce-  
dit, & ipse simul spiritus DEI egredi-  
ens ex æterno Patre & Filio, & rursus  
regrediens & vniens pios cum DEO,  
interpellat pro nobis gemitibus ine-  
narrabilibus, & pectus diuinitatis ad  
misericordiam mouet. Merito igitur  
piæ menti inter omnia huius vitæ bo-  
na, nihil suauius est illo ardente cum  
diuinitate colloquio, vbi, vt ille dixit,  
fit ascensus mentis ad DEVM, vbi vt  
Dominus prope est his qui anxio sunt  
A 3 corde,



P R O O E M I V M.

corde, & vbi secundum dictum Petri, anima afflicta est propinqua DEO, & quasi osculum & amplexum DEI petens, tribulationem suam certa fiducia exauditionis propter filium DEI mediatorem coram DEO pronunciat, & inter suspiria, lacrimas & gemitus diuina promissione nititur, has & similes fidei voces ingeminat, Qui non diligit Dominum Iesum Christum sit anathema: DOMINE tu scis quia ego amo te: Credo DOMINE, sed opem fer imbecillitati meæ. Ad talia pietatis studia & exercitia, cum istæ formulæ precationum à prudentibus indicarentur esse profuturæ, ea simplici & bono consilio edidimus. Notum est breui apophthegmate Paulino describi officia & virtutes fidelis & salutaris doctoris in Ecclesia, Attende lectioni, doctrinæ, & consolationi. Non acie humanæ mentis excogitata est doctrina Ecclesiæ de Deo & Filio eius, neque ex arbitrijs potentum, aut ex diuersis gentium naturis, morib. & inclinationibus



PROOEMIUM.

nibus sculpuntur numina & cultus  
 DEO placentes. Sed sonat in Ecclesia  
 vox doctrinae, quae est sapientia ex ar-  
 cano sinu Patris per Filium λόγον pro-  
 lata, eaque commendata est Ecclesiae  
 omnium temporum, & DEVS ipsa im-  
 peria & Respub. vult esse custodes illius  
 codicis complectentis hanc salutarem  
 doctrinam de creatione & redemptio-  
 ne humani generis. Ista vox compre-  
 hensa in scriptis Prophetarum & Apo-  
 stolorum sola est rectorix & norma fi-  
 dei, secundum quam Deus vult agno-  
 sci, coli & inuocari, & non aliter.

Adhunc Canonem, qui nequaquam  
 est similis regulæ Lesbiæ aut folijs Si-  
 byllæ, alligata est Ecclesia, non ad tra-  
 ditiones vel παραδόσεις, quas iactitant  
 Cynici Esauitici, qui hoc fuce tegunt  
 totum chaos Idolomania pontificiæ,  
 & vitiosam illam consuetudinem supe-  
 rioris seculi, ortam partim ex inscitia,  
 partim ex superstitione, nominant Ca-  
 nones Apostolicos, cum illa Idolorum  
 & abusuum portenta tam fuerint nota





P R O O E M I V M.

antiquitati sinceræ, quàm nobis nota est Utopia, quam describunt fictæ narrationes Luciani. Ideo rectè illa collegia, ne deesset illis domesticum elogium, ornauit quidam ex antesignanis Pontificiorum. Linunt (scribit is) parietem inclinatum sed luto non macerato. Nomen Iesu fit ostentui, doctrinæ nulla ratio. Accendantur vero animi piorum doctorum ad curam lectionis & studiorum, & cogitent, opus esse varia & copiosa eruditione in explicatione doctrinæ sacræ. Quod Plato inquit, multos ut ex carcere, ita ex opificijs ad templa confugere propter quæstum & ocium, hoc nostra præfertim ætate accidit, à qua audacia nimis impia, abhorrere pias mentes oportet, & considerare muneris illius magnitudinem, de quo dicitur, Legatione pro Christo fungimur.

Amemus igitur assiduitatem lectionis sacræ scripturæ, cum ut in ministerio publico conseruetur veræ doctrinæ puritas, tum ut in nostris animis ac-



P R O O E M I V M.

mis accendantur motus fidei, spei, ti-  
 moris & dilectionis DEI. Hauritur e-  
 nim, inquit Paulus, ex pia lectione &  
 meditatione diuinæ vocis, per quam  
 Spiritus sanctus est efficax, doctrina &  
 consolatio. Hic pius Euangelij mini-  
 ster allocuturus Ecclesiam, cogitet se  
 esse vocem (vt Baptista modestissimè  
 dicit) clamantis, id est, canalem vel  
 organum, per quod ipse filius Dei su-  
 am doctrinam sonat. Non afferat igi-  
 tur ad populum suæ sapientiæ osten-  
 tationem, neque etiam, vt Platonis ver-  
 bis vtar, indulgens suis affectibus pa-  
tiatur se ab asino excuti, & à scopo ab-  
duci. Non loquatur ibi sua somnia,  
 neq; etiam suos dolores priuatos, non  
 captet aurem popularem, & *νεροθόγουλον*,  
refutationes aduersariorum sint mo-  
deratæ & graues, non certet scurrili-  
tate & maledicentia cum hostibus.  
Nam conuicia etiam cum verè dicun-  
tur, non sine dolore audiuntur à sa-  
pientibus, multò magis odiosa est illa  
effrenis rabies, deformans non solum  
 A 5 inno-

XB.

>> XB.  
>>



P R O O E M I V M.

innocentes, sed etiam de Ecclesia Dei  
 & tota posteritate optimè meritos,  
 quæ nunc in cathedris ebrietas domi-  
 natur. Sed errant isti *ἰθιμοὺς κἀλακῆς* vel  
*κἀλακῆς*, cum putant in hoc sycophan-  
 tico sæculo pleno fastus & maleuo-  
 lentia, vbi singuli pugnant de ante-  
 cellentia, vbi nullus est qui velit cedere  
 ingenio, sese posse crescere ex calum-  
 nijs & maledicentia, & simul cogitent,  
apud piam & sapientem posteritatem  
pro illa fama, quam artibus Aristopha-  
nicis aucupantur, nomen ipsorum fu-  
turum infame & damnatum. Sit igitur  
 pius Doctor tuba D E I, fideliter  
 tradat auditoribus vniuersæ doctrinae  
 corpus, & hoc agat, vt singuli mente  
 ideam vel hypotyposin salutaris do-  
 ctinae complectantur. Ita enim men-  
 tes ad amorem Euangelij flectentur,  
 si fontes & summam doctrinae rectè  
 intelligent, & ita contraria refutare &  
 fugere discent. Non verò talis sit le-  
 ctio vel meditatio doctrinae coelestis,  
 sicut profana scripta, poëmata vel hi-  
 storiae



P R O O E M I V M.

storia leguntur, delectationis causa  
 aut imitationis, vt Demosthenes legit  
 Thucydidem, aut Iulius historiam Ale-  
 xandri, quia cupiunt imitari virtutes  
 in sermone, aut virtutes politicas &  
 Ethicas. Sed fiat accommodatio do-  
 ctrinae ad consolationem inquit Pau-  
 lus, luceat in tali meditatione filius  
 D E I ὁ λόγος ἰσιώδης praesentia & effica-  
 cia ea, qua in illis qui petunt Spiritum  
 sanctum accendit noticiam veri D E I,  
 timorem, agnitionem iusticiae & mise-  
 ricordiae, dolores de peccato, &c. &  
 dato suo Spiritu corda pauida ex infe-  
 ris retrahit, monstrat voluntatem  
 aeterni Patris, accendit corda ad in-  
 uocationem & dilectionem D E I, de-  
 nique inchoat in illis nouam vitam &  
 leticiam congruentem ad illas pro-  
 missiones sonantes in ministerio. Cum  
 igitur existimemus, vt dictum est, has  
 etiam orationum homilias, posse in-  
 uitare pios ad amorem lectionis, &  
 rudiores de praecipuis doctrinae par-  
 tibus in qualibet lectione Euangelij  
 com-



P R O O E M I V M.

commonefacere, denique monstrare  
vltimū doctrinæ in exercitijs pœniten-  
tiæ, inuocationis, & in ipso mortis  
agone, censuimus sanè eas non pre-  
mendas esse, sed communicandas plu-  
rimis. Et optamus, vt illæ accipiantur  
dextrè à plerisque & offendant nemi-  
nem. Filius D E I Dominus noster Ie-  
sus Christus lacerum & languidum  
corpus Ecclesiæ in hac mundi senectâ  
foueat, gestet, & omnia vulnera  
nostra, quæ profectò sunt  
summa, sanet,

A M E N.

EPI-



**EPILOGI PRECAN-  
TES HOMELIARVM DO-  
MINICALIVM.**

**DIE PASCHATOS.**

**A** G I M V S tibi gratias Fili Dei Domine  
Iesu Christe quod assumpsisti naturam hu-  
manam propter nos, factus es victima pro pec-  
catis nostris, & devicta morte reuixisti, vt sis  
perpetuò rex & sacerdos noster apud æternam  
patrem tuum: Precamur te supplices, laua nos  
tuo cruore, remitte nobis peccata nostra, ex-  
trahito nos è paucibus mortis, inserito nos vi-  
uificæ tuæ massæ, excita in nobis nouã & æter-  
nam vitam, renoua nos salutari tuo flatu: no-  
stra etiam sepulchra munda ab omni spurcitiæ  
diabolorum, malorum serpentum: suscipe mi-  
grantes animas nostras in tuam manum, & san-  
cti tui angeli sint custodes nostrorum cinerum,  
donec corpora nostra ad beatam vitam resusci-  
tabis, vbi regnum eterno tuo Patri trades, & di-  
uinitatem in clara luce læti intuebimur, Amen.

**F E R I A S E C V N D A  
P A S C H A T O S.**

**F I L I D E I** qui docuisti infirmos viatores  
discipulos tuos. Mane etiam nobiscum Domi-  
ne quia aduersperascit. Serua Ecclesiam tuam in  
hac



hac mundi senectâ & caligine, & nos in ea doce: medere nostræ imbecillitati: auge nostram fidem languidam: da vt etiam corda nostra gaudeant accensa viuifico igne tui spiritus, vt simus hæredes æternæ vitæ & gloriæ tuæ, Amen.

### F E R I A T E R T I A.

F I L I D E I qui post mortem rediuuius ostendisti te tuo agmini, & præbuisi gustum discipulis tuis æternæ vitæ & scholæ, fac vt nos etiam tuo conspectu lætemur, vera fide innitæmur tuo beneficio, vocem tuam perfundentem corda nostra grata pace audiamus, eluctemur ex paucibus inferorum, & læti tibi in fide & bona conscientia seruiamus, Amen.

### D O M I N I C A P R I M A.

F I L I D E I Domine Iesu Christe crucifixe pro nobis & resuscitate, Oramus te, inuoluito anxia corda nostra in tua vulnera: laua nos efficaci vnda fluente ex tuo latere, auferente sordes nostræ inquinatæ naturæ, & pasce nos tuo sanguine ad nouæ vitæ alimoniam: afflato nos tuo sancto & diuino flatu: spira in nos flammam substantialem tuam & æterni Patris tui, vt vnum fiamus tecum, vt in nobis excitetur noua lux, pax, vita, gaudium, vera fides, credens ea quæ non cernit, vt toto pectore te vnum Deum cum Patre & Spiritu sancto verè agnoscamus



mus, & in te habeamus vitam æternam, Amen.

DIE APOSTOLORVM  
PHILIPPI ET IACOBI.

FILII Dei qui dixisti, Ego sum via, veritas & vita: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Reduc nos errantes viatores in hoc tristi exilio in veram viam salutis: monstra nobis veritatem tuam: Viuifica nos tuo spiritu: adducito nos tuo Patri, vt per te & ex tua humana massa glorificata & exaltata propagetur in nos lux & vita æterni Patris tui, & nos miseros exules facito ciues tui regni. Para nobis mansiones & locum, vbi ex te vite æternæ vitæ in domo & mensa Patris tui hauriamus succum nouum, vt perpetuo simus ibi, vbi tu es, & verè in nobis glorificetur æternus Pater tuus, A M E N.

DOMINICA MISERICORDIARVM.

PASTOR bone & vnice animarum nostrarum Iesu Christe fili Dei viui, nos tuas ouiculas tenellas & imbecilles inserito tuo gregi: serua ministerium, mitte pios doctores, qui a te vno pastore dictata sua accipiant: Loquere etiam iatus in cordibus nostris vocem tuam & æterni Patris tui, & da vt eam verè agnoscamus & audiamus: Frigida etiam corda nostra foue in tuo gremio, tuo salutari calore, & nos ouiculas



culas pendentis ex tuo collo defende aduersus  
rabiem diaboli & omnium satellitum eius, & in  
illa tristi lucta non sinas nos rapi ex manibus  
tuis: sed da nobis vitam æternam, quæ hic in-  
choëtur in tuo ouili, & deinde in regno Patris  
tui, vbi erimus similes tui, perficiatur, A M E N.

### DOMINICA IUBILATE.

I E S V C H R I S T E fili Dei, qui vis in pas-  
sione & cruce Ecclesiam tuam fieri tibi confor-  
mem, non sinas imbecilles animos nostros  
frangi metu periculorum, teq; aspectu ne sub-  
trahe nostro: sed inter medias etiam ærumnas  
ostende nobis tuum vultum: mitiga nobis ca-  
lamitates & suauitæcia extingue pauores no-  
strorum cordium, vt in periculis & in ipsa mor-  
te tuam præsentiam sentiamus, & cor in cæstum  
verè gaudeat, & gaudium nostrum nemo à no-  
bis tollat, A M E N.

### CANTATE.

D O M I N E I E S V C H R I S T E, qui dixi-  
sti: Quanto magis pater cœlestis dabit spiritum  
sanctum petentibus, effunde in nos spiritum  
gratiæ & precum, qui mentem nostram doceat,  
extinguat dubitationes de tua & æterni Patris  
voluntate, deleat omnem incredulitatem, mon-  
stret vero iusticiam veram, quæ est fiducia intu-  
ens tuum transitum, tuam obœdientiam præ-  
stitam æterno Patri pro redemptione nostri: ad-  
das



dat etiam cordi nostro verum robur, vt non expauescamus iniqua iudicia diabolorum & mundi, sed verè in nobis luceat tua claritas, quæ est radius lucis sparsus ab æterno Patre & à λόγῳ in tuam humanam naturam & ex illa in nostram, vt & in hac vita & in æterna in nobis glorificetur æternus Pater tuus, Amen.

### VOCEM IVCVNDIT.

**AETERNÆ** Pontifex noster Iesu Christe, qui es ad dexteram Patris semper interpellans pro nobis, & qui dixisti: Amen, Amen dico vobis, Quicquid petieritis Patrem, &c. Accende in mentibus & cordibus nostris spiritum clamantem Abba Pater, vt cum fiducia accedamus ad thronum gratiæ, & suscipe gemitus afflictarum animarū quæ tibi prope sunt: miserere nostri secundum tuam promissionem: defende Ecclesiam tuam aduersus tyrannidem diabolorum & hominum: Serua politias quæ præbent hospitia Ecclesiæ, fac nos vnà cum nostris vasa misericordiæ & organa salutaria Ecclesiæ & multis hominibus. Denique da vt gaudium tuum in nobis sit plenum, vt tibi seruiamus in fide & læticia sine caligine idolatrica, & sine peccatis contra conscientiam, donec transferamur in æternum tuum regnum, & fruamur conspectu diuinitatis in tota æternitate, Amen.

**DIE TRIUMPHI FILII DEI**

**ASCENDENTIS IN COELVM.**

**B**

**FILE**



F I L I Dei, Domine Iesu Christe, qui post  
 resuscitationem tuam & 40. dierum dulcissi-  
 mam conuersionem cum matre & discipulis  
 tuis, spectante magna multitudine, cum augu-  
 sto agmine sanctorum hominum in celum vi-  
 sibiliter triumphans euectus es, vbi ad dextram  
 æterni Patris exaltatus, in lucem inaccessibilem  
 confedisti, ad regnum æternum, & Ecclesie tue  
 spectanti ostendisti gustum æternæ gloriæ tuæ:  
 supplices te rogamus, erigas oculos nostræ men-  
 tis, vt quæramus ea quæ sursum sunt, vbi tu es,  
 Ecclesie tue in hac vita exulanti dato dona, ser-  
 ua ministerium & vocem tuæ doctrinæ incor-  
 ruptam, da doctores qui tuam veritatem fo-  
 nent, sine corruptelis idolatricis, & tu intus in  
 cordibus nostris, instilla nobis gustum æternæ  
 vitæ, & da vt decedentes in vera agnitione &  
 inuocatione tui, resuscitati ex morte, te rursus  
 in nube redeuntem læti conspiciamus, & ciues  
 tui regni in omni æternitate simus, Amen.

### DOMINICA EXAUDI.

I E S V C H R I S T E fili Dei inuoco te fide,  
 quamuis languida, fide tamen. Spira ex æterni  
 Patris & tuo pectore in cor meum Spiritum tu-  
 um sanctum, veracem, qui se meis spiritib. natis  
 in meâ natura permisceat, & mentem atq; cor  
 meum ad verum Deum copulet, vt in me etiam  
 luceat veritas Dei, & in læticia accedatur in me  
 conformitas cum Deo. Et quia mirando consilio  
 tu fi-



tu fili Dei Ecclesiam tuam in hac vita vis esse  
 subiectam cruci, largiatur mihi ille tuus spiritus  
 verum animi robur, ne iniqua iudicia homi-  
 num, contumelias, aut ipsam etiam mortem  
 expauescam: sed facito vt inter medias ærum-  
 nas verè meminisse possim eorum, quæ tu nobis  
 dixisti: & quamuis tuo visibili conspectu nunc  
 non fruor, effice tamen, vt timida & imbecillis  
 mea natura in cruce & morte tuam præsentiam  
 intus cernat & sentiat, & in constanti agnitione  
 & inuocatione tui, ad visibilem consuetudinem  
 DEI & Ecclesiæ, angelorum & hominum, in  
 cælos transferat, Amen.

**DIE PENTECOSTES, QVAE**  
**EST A DATA LEGE 3074.**  
**anni vertentis 1566.**

**SPIRITVS** sancte **DEVS**, qui effusus in  
 corda Apostolorum visibiliter in linguis eorum  
 fulsisti, inuoco te: Accende etiam in pectore  
 meo lucem veræ agnitionis **DEI**: Et tu, qui es  
 flamma substantialis æterni Patris & Filij, co-  
 pula meum etiam cor cum vero **DEO**, emenda  
 frigus meæ naturæ, & foue eam tuo salutari fla-  
 tu & igne, vt in ea excitentur tales motus, qua-  
 lis tu es, vt ego verè sim domicilium diuinitatis  
 in hac vita, militans bonam militiam & fruens  
 pace, qua filius **DEI** pectora credentium per-  
 fundit, & deinde in æterna consuetudine coram  
 lucem & gloriam **DEI** cernam, Amen.

**B 3                      DIE**



## DIE SECUNDO.

**AETERNÆ**, viue Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex immensa bonitate filium tuum *λόγον ἡγῆ εἰκόνα σῆς* constituisti mediatorum, & per & propter eum, genus humanum in gratiam recipis. Inuoco te, da vt luceat in mea natura, tua lux, filius tuus, qui me ex paucis mortis extrahat, monstrat mihi in agone tuum pectus & voluntatem expressam in hoc dicto: Sic **DEVS** dilexit mundum, &c. vt effugiam iudicium, & apprehendam fide filium tuum, liberer à terroribus mundi, & per eum habeam vitam æternam, Amen.

## DIE TERTIO.

**FILII** Dei pastor fidelis, qui gregem generis humani turbatum à diabolo rursus ad **DEVM** aggregas, reprime Diabolum & satellites eius, qui veniunt vt furentur, mactent & perdant: Tu verò collige tibi semper inter nos Ecclesiam, serua nobis ministerium: sis noster saluator merito & efficacia, fac vt abluti tuo sanguine ingrediamur, & accedamus vera fide ad æternum Patrem tuum, cuius mentem & voluntatem tu sonas, & deinde egressi in hac vita propagemus tuam veritatem, & faciamus ea quæ tibi grata sunt: Et tribue nobis vt dulce tuum pabulum semper recreet ariditatem nostram, vt in cruce & morte verè habeamus gustum tuæ consolationis



9  
tionis in hac vita, per inchoationem, in altera  
verò de facie ad faciem, vt simus similes tui,  
A M E N.

## DIE SANCTAE TRINIT.

AETERNÆ, omnipotens & vere DEVS,  
pater Saluatoris nostri Iesu Christi, qui cum Fi-  
lio & Spiritu sancto tuo, condidisti cœlum &  
terram, angelos & homines, & Filium tuum λό-  
γον ἡ ἐκλόνη σὺ voluisti esse mediatorem, & pa-  
tesfecisti per eum arcanum decretum de redem-  
tione generis humani, & per eum dato Spiritu  
tuo, sancto, casto & veraci, corda credentium re-  
nouas ad vitam æternam, accendis in ipsis ve-  
ram lucem, agnitionem & inuocationem tui.  
Inuoco te toto pectore, collige tibi inter nos  
æternam Ecclesiam, & idem tuus FILIVS, qui  
descendens arcanam sapientiam Euangelij ex  
sinu Patris protulit, & in cruce exaltatus est, vt  
fieret victima pro nobis, & nunc exaltatus ad  
dexteram DEI, dans nobis dona, luceat in cor-  
dibus nostris, extinguat tenebras nostræ carnis,  
& spiret in nobis nouam flammam agnitionis  
DEI & nouæ vitæ tibi placentis, vt in hac vita  
semper maneamus in cœtu regeneratorum, &  
hinc decedentes in æternam vitam migremus,  
A M E N.

## DIE PROFANATIONIS

SACRÆ COENÆ.

B 3

FILI



**F I L I** Dei, Domine Iesu Christe, qui assidens ad mensam sancti tui conuiuij, dixisti: Desiderio desideravi manducare vobiscum hoc Pascha antequam patiar: agnoscimus cum dolore vulnera nostra, quæ tanta sunt, vt si tantum flumen lacrymarum fundere possimus, quantum vndarum hic Viadrus noster vehit tunc, cum alueos suos excedens latè vicinos campos implet, non possemus satisfacere huic tristissimo malo, quod in cultu Dei Maozim, quem colunt auro & argento, cum inenarrabili contumelia tui in Ecclesia tua hæret. Sed tu parce nobis, qui gemimus propter idola, & repurga Ecclesiam tuam ab idolatricis & ethnicis cultibus: Excita verò in nobis suaue desiderium cœlestis tuæ nutritionis, vt ex te pane vitæ vera fide vescamur, & ex te fonte æterno hauriamus succum æternæ vitæ. Et tu qui verè ades tuis mysterijs in tua cœna, te nobis communica, sis in nobis efficax, & infere nos viuifico tuo corpori, vt in hac & in æterna vita perpetuò in te viuamus & lætemur, Amen.

**P A R A E N E S I S.**

Circumgestatio & *ἁπολατρεία* instituta est ante annos 300. Anno Christi 1264. ab Urbano quarto, cum Thomas Aquinas excogitasset *μεταβολή* panis, quam nominant Transsubstantiationem. Iste Deus Maozim, qui à placenta nomen habet, est idolum vastans totum cultum **D E I**, & propter illud grassantur in Europam



pam arma Turcica, sicut Oriens percussus est  
 anathemate propter furores Arrij. Nos cele-  
 bramus hoc tempore tanquam Encœnia me-  
 moriam repurgati templi. Nec deformamus  
 sacramentum, sed taxamus hoc idolum, quod  
 nullum est sacramentum. Sacramenta sunt ta-  
 lia in usu. Et nulli creaturæ licet instituire cul-  
 tum extra & præter verbum D E I. Est Ethnica  
 & Persica pompa, quam prorsus ignoravit ve-  
 rus Ecclesia, & hodie eam non vsurpant Græci.  
 Fugite igitur idola, & animis atq; oculis à tam  
 impio spectaculo abhorrete. Oremus D E V M  
 vt Ecclesiam suam liberet à tanta turpitudine  
 idolatriæ: Et sicut in Propheta dicitur: Parcat  
 nobis qui gemimus propter idolatriam: restitu-  
 at verò nobis salutarem usum sui conuiuij, in  
 quo verè adest credentibus, & se eis communi-  
 cat, A M E N.

## DIE NATALI BAPTIS- TAE.

S T A E.

T I R I æterne Pater Domini nostri Iesu  
 Christi toto pectore gratias agimus, quod per-  
 petuo per & propter Filium tuum in genere hu-  
 mano colligis Ecclesiam, & perpetua serie missi-  
 sti doctores donis & testimonijs diuinis excel-  
 lentes, qui fuerunt instauratores & propagato-  
 res tuæ veritatis, inter quos excelluisse scimus  
 heroicum illum filij tui præcursorem sanctum  
 Iohannem Baptistam, qui primus doctor noui

B 4

resta-



testamenti doctrinam Euangelij ab erroribus  
Pharisaicis repurgauit, omnes articulos fidei il-  
lustrauit, & filium Dei digitis monstrauit. Sup-  
plices te rogamus, collige tibi inter nos æter-  
nam Ecclesiam, doce corda nostra tuo veraci  
spiritu, vt verè assentiamur salutari tuæ doctri-  
næ, quam sonuit Baptista, & inserti tuo gregi,  
faciamus fructus pœnitentia dignos, vt nobis  
etiam illucescat diuinitas ostensa Iohanni, vt  
vera fide amplectamur agnum tuum Christum,  
illius augustissimi sponsi simus socij, & vt eum  
possidentes liberemur ab ira D E I, & efficia-  
mur hæredes æternæ vitæ tuæ, Amen.

DOMINICA LAZARI IACEN-  
TIS ANTE FORES DIVITIS.

A E T E R N E, viue, vere D E V S, qui iusto  
consilio tuo Ecclesiam tuam eiusque membra  
in hac vita subiecisti cruci, vt tua castigatio illis  
sit disciplina clamandi ad te, miserere miseri &  
squalidi tui coetus, qui spretus & neglectus ple-  
nus vlceribus iacet ante fores magnorum re-  
gum, qui te oderunt. Tu optime & benefice Sa-  
maritane, sana vulnera nostra tua diuina medi-  
catione, & quia placuit tibi æternæ vitæ initium  
facere finita hac fragili, mittito quæsumus ali-  
quos benefactores etsi humiles, qui lingant no-  
stræ vlcera, & suis officijs iuuent conseruatione  
ministerij & scholarum, donec exhalantes ani-  
mam excipiamur manibus illustrium tuorum  
ministro.



ministrorum, & transferamur in sinum Abra-  
 hae, vbi coram adepti bona proposita in pro-  
 missione, te & omnes electos in clara luce, libe-  
 rati ab omnibus malis cernamus: flectito etiam  
 corda hostium tuorum florentium gloria & o-  
 pibus, vt cogitent de loco illo cruciatuum, & de  
 vallo illo, quod eos excludet à conspectu tuo in  
 omnem aeternitatem, & quod implebit eos pa-  
 uoribus, fuga tui, fremitu & horribili con-  
 sternatione, quam lingua hominum exprimere  
 non potest: facito vt serio ad te conuersi, in  
 ista vita audiant sermonem Prophetarum & A-  
 postolorum, & opibus suis pie ad conseruatio-  
 nem ministerij, politici status & egentium ne-  
 cessitatem vtantur, A M E N.

DIE RECORDATIONIS APO-  
 STOLORVM PET. ET PAULI.

FILII Dei Domine Iesu Christe, qui es λό-  
 γος aeterni Patris tui & orator ab initio missus  
 ad Ecclesiam, loquere intus in cordibus nostris  
 tuam caelestem sapientiam: illustra carnem &  
 sanguinem nostrum & hanc imbecilem no-  
 stram naturam nova luce tui, vt interrogati in  
 omni agone verè agnoscere & profiteri possi-  
 mus, quod tu es Christus filius DEI viventis,  
 Saluator & rex noster. Et quia magna rabies  
 magnaue potentia est hostium, qui cum tua  
 veritate pugnant, potenter defende Ecclesiam  
 tuam sonantem hanc sapientiam contra omnes  
 portas



portas inferorum, & sicut in Ecclesia recenti huius doctrinae propagatores fuerunt illustria duo lumina Ecclesiae Petrus & Paulus, ita nobis etiam seruatō ministerium, & mittito pios doctores, qui tuis clauibus piē & rectē vtantur in consolando & castigando, vt in hac vita simus & maneamus ciues tui cœtus, qui à te habet protectionem, & in altera hæredes æterni tui regni.  
A M E N.

DOMIN. MAGNÆ COENÆ  
FASTIDITÆ AB INVITATIS.

AGIMVS tibi gratias æterne Paterfamilias, quod post delitias paradysi turbatas à diabolo & homine, rursus ex immensa bonitate per Filium tuum magnam cœnā apparatus, & posteaquam tuus populus, in quo arcem harum epularum constituisti, vnā cum mundi maxims parte tuam mensam aspernatur, & patitur se ad cōiuiua diaboli & voluptates huius seculi rapi, nos tamen cœcos, claudos & sordidos ex multitudine ethnica vocas, & in hoc fine mundi, vt numerus electorum impleatur, aliquos in vijs publicis & ad sepes in hac imperiorum ruina iacentes, verbo tuo monstrante tuam iram & magnitudinem ærumnarum, qua vltimam ætatem mundi propter peccata oneras, compellis ad societatem tui conuiuij: supplices te rogamus, adhibeto nos infirmos tuæ mensæ, in eaque semper nobis locum attribuito, & facito vt  
ex Fr



ex Filio tuo, qui est panis vitæ & vitis viuifica, hauriamus alimentum & succum rigantem ariditatem nostræ naturæ, & tandem in mensa æternæ vitæ gustemus tuam cœnam, & bibamus recens vinum tui Filij, fruentes conspectu tui visibili, in beata consuetudine angelorum & hominum electorum, Amen.

## DIE CONGRESSIONIS

MARIÆ ET ELISABETHÆ,  
in domo Zachariæ.

VT tu æterne & omnipotens DEVS mirabili bonitate texisti tuguria, quæ erant hospitia Mariæ matris Christi, sororis ipsius, Elizabethæ, Zachariæ, hominum forma corporis, pietate & vera agnitione tui præstantium, ipsasque cunas etiam recens nati Baptistæ, cum in Palestina vagarentur exercitus pessimorum latronum. Ita toto pectore te rogamus, protege etiam nostros cœtus in hac ruina imperiorum & postremæ ætatis calamitatibus grauissimis: Et facito, vt nostri etiam congressus sint scholæ, in quibus exaudiamus vocem matris Ecclesiæ, per quam Filius tuus in auribus nostris salutationem tuam sonet, vt inde corda nostra vero gaudio exilient, vt anima nostra illustrata vera agnitione tui, & perfusa tuo Spiritu, verè lætetur & acquiescat in te, vt inter miserias huius vitæ & inter infirmitates nostræ naturæ impleamur viuifico alimento tuorum bonorum, & sentiamus gustum  
tuæ



tux misericordix promissæ Ecclesiæ tuæ ab in-  
tuo in voce Euangelij, Amen.

DOMINICA OVIS ER-  
RANTIS RECUPERATAE  
à pastore suo.

TE FILI Dei pastor vigilantissime & mi-  
rissime, qui teneros agnos in campo editos tuis  
vlnis excipis, eosque tuo gremio suavissimè fo-  
ves, errantem etiam ouiculam tuis humeris im-  
positam cum læticia in tuum ouile gestas, te in-  
uocamus, complectere etiam tuis brachijs nos  
imbecilles, fove nos in tuo sinu, tuo salutari  
calore & flatu: Inserito nos tuis humeris, tuæ  
massæ humanæ, & reducito nos in tuum ouile:  
In nobis etiam drachmis tuis, quibus in prima  
creatione tui effigiem impressisti, eandem resti-  
tue: fac vt admoniti à tuo Spiritu, serio peccata  
nostra agnoscamus & deploremus: accende et-  
iam lumen tuum, quod mentes & corda nostra  
illustret, vt rursus in nobis splendeat tua imago,  
vt efficiamur ciues regni tui: & omnes vicini  
& contubernales tui, tota Ecclesia beatorum an-  
gelorum & hominum tibi agat gratias, & tecum  
lætetur, qui in nobis miseris & infirmis poten-  
tiam & audaciam diaboli superas, & errantes in  
viam veritatis & salutis reducis, Amen.

DOM. MISERICORDIAE  
COELESTIS PATRIS. FILL



**F I L I** Dei, qui es orator æterni Patris tui &  
 verissimus legis diuinæ interpretis, quam ab ini-  
 tio in creatione mentibus angelorum & homi-  
 num impressisti, eamque per peccatum diabolo-  
 rum & hominum obscuratā repetiisti, & ean-  
 dem in cacumine montis Sinaï clara voce pro-  
 nunciasti, dato etiam tuo spiritu sancto & ve-  
 raci, legem in credentibus restituis, atq; in illis  
 motus congruentes cum eadem tua lege cies :  
 Inuocamus te, miserere nostri secundum tuam  
 promissionem : Excita in nobis verum amo-  
 rem tuæ legis : facito vt sordes nostræ naturæ  
 horribiliter inquinatæ seriò agnoscamus, & de-  
 ploremus, & inter illos pauores vera fide te, qui  
 maledictionem legis sustulisti, apprehendamus :  
 Restitue etiam in natura nostra ius tuæ legis &  
 imaginem tuam : Extingue in nobis omnes  
 flammæ malarum cupiditatum, vindictæ, odij,  
 crudelitatis : Reprime etiam hypocritas, qui  
 blandiuntur affectibus hominum, qui mala in-  
 teriora hærentia in nostra natura extenuant, &  
 de lege tua falsa docent : da verò, vt corda no-  
 stra ardeant diuino igne amante te verum De-  
 um Patrem, Filium & Spiritum sanctum & om-  
 nes naturas, quæ tibi sunt conformes : Iuuato  
 nos, vt imitati tuum exemplum simus mites &  
 humiles corde, vt hoc modo in hac vita inchoe-  
 tur in nobis integritas æternæ vitæ, qualis luceat  
 in cœlesti Patre nostro, & in omni Ecclesia bea-  
 torum angelorum & hominum, quæ tibi simi-  
 lis est, **A M E N.**

**D I E**



**DIE PECCATRICES CON-  
VERSÆ AD CHRISTVM.**

**FILII** Dei, Domine Iesu Christe, cui gratissima sunt conuiuia, in quibus homines ad societatem cœlestium epularum accedunt: Inuocamus te, conuerte nos **DOMINE** & conuertemur, facito vt prouoluti ad pedes tuos fundamus lacrymas sexiò peccata nostra deplorantes: & rursus inclinati ad te nostrum caput, te arripiamus, vinciamus, & captemus tuum osculum. Tu etiam nos osculare osculo oris tui, & effuso Spiritu sancto tuo, excita in nobis nouam vitam, quæ te vngat vera agnitione tui, suauis odore veræ inuocationis & nouæ obedientiæ. Da etiam vt in hac vita veneremur pedes tuos, qui pacem annunciant: & cum in hac extrema ætate mundi angeli pacis amare sint ploraturi, iuuato, vt nos etiam ærumnis Ecclesiæ tuæ afficiamur, & eas nostris officijs sanare studeamus, atque ita verè efficiamur membra illius cœtus, cui multum remisisti, & qui te vicissim ardentè diligit. Et deinde euocati ex hac valle lacrymarum accumbamus ad tuum conuiuium, quod erit sine lacrymis & sine peccato in domo Patris tui, vbi sunt multæ & augustæ mansiones, Amen.

**DOM. RETISELECTI IN  
NOMINE CHRISTI.**

**OMNIPOTENS, æterne, viue, vere DE-**  
VS



vs, qui misso Filio tuo, æternam tibi ex genere  
 humano colligis Ecclesiam, agnoscimus sine tuo  
 nomine nihil esse in homine: præluceat igitur  
 nobis laborantibus in tenebris & confusionibus  
 huius vitæ, Sol iusticiæ **F I L I U S** tuus, qui in  
 mentibus nostris accendat veram lucem fidei,  
 nitentem tua misericordia & auxilio: Et tu iuua  
 nos, vt in vocatione nostra simus felices, & tibi  
 seruiamus in fide & bona conscientia. Mittito  
 etiam continua serie fideles ministros, qui rete  
 in tuo nomine eijciant, qui fundamentum veræ  
 doctrinæ rectè tradant & secent: Facito, vt eo  
 rum labor sit felix in te, neque verbum tuum ad  
 te reuertatur vacuum. Infirmos etiam & vacil  
 lantes tuo Spiritu, & Ecclesiæ tuæ coniunctæ te  
 stimonijs confirma, vt inter nos seruetur con  
 cordia: Et vt sublatis omnibus dissidijs falso  
 rum dogmatum, quæ sparit odio tui, tuus & ge  
 neris humani hostis Diabolus, perpetuò simus  
 vnum in filio tuo, & eluctati ex pauoribus con  
 scientiæ, habeamus consolationem, pacem &  
 læticiam in te, Amen.

**DIE RECORDATIONIS IACO  
 BI APOST. FILII SALOMES.**

**F I L I D E I**, Domine Iesu Christe, qui ve  
 nisti in hunc mundum, vt animam tuam pone  
 res *λύτρον* pro multis: Excita corda nostra ad  
 veram cogitationem de tuo beneficio & obœ  
 dientia, quæ est æquiualens precium pro pec  
 catis

cati



eatis totius generis humani, placans iram Dei  
 & reddens æternam iusticiam vera fide ad te ac-  
 cedentibus. Inuocamus etiam te, cum in nobis  
 sicut etiam in discipulis amittinis tuis in hac vita  
 hæreat ingens immundities, sana mentes no-  
 stras tuo Spiritu, extingue in nobis malas cupi-  
 ditates superbiæ & ambitionis, quæ in animis  
 hominum mirabiliter ardent. Facito ut tui mi-  
 nistri intelligant & retineant discrimen inter im-  
 peria politica & ministerium, ut tibi non per lu-  
 dibrium inijciant purpuram, nec corona spinea  
 tuum caput pungant, sed in humilitate Ecclesiæ  
 tuæ seruiant, sicut fideles dispensatores tuorum  
 mysteriorum, imitati tuum exemplum, in quo  
 humilitas in summo gradu conspecta est, cum  
 te abiiecisses infra omnes angelos & homines.  
 Inuato etiam, ut hauriamus tuum calicem, &  
 tingamur tuo baptismo in vera inuocatione &  
 patientia, donec nos sursum ad conspectum tui  
 regni visibilis, quod est ad dexteram æterni pa-  
 tris, attrahas, Amen.

DOM. IUSTICIAE CHRITIA-  
 NAE ET PHARISÆICAE.

AETERNÆ, viue, vere DEVS, qui Fili-  
 um tuum misisti ex inenarrabili bonitate & mi-  
 sericordia, ut legem tuam impleret sua satisfa-  
 ctione, & eam in cordibus credentium restituat:  
 Tu, qui hanc sapientiam homini in prima crea-  
 tione impressisti, doce nos, ut eam agnosca-  
 mus.



mus, illique simus conformes. Tu dixisti, Non occides: qui patefecisti nobis, te Filium tuum qui est imago tua substantialis, verè diligere, & nolle te cum diabolis & hominibus trucidari, nolle te etiam interfici homines innocentes & pios, qui massæ tui Filij sunt inserti, & vitam ab eo hauriunt. Et sicut superstes est post interfectionem naturam humanam in Filio tuo λόγος & natura diuina, quæ ordine iusticiæ vindictam poscit: Ita scimus animam pij hominis iugulari per iniusticiam, sociam massam desiderare, & vindictam abs te expetere, sicut dictum est: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Ideo tu extingue in nobis semina iniusti odij, vindictæ, crudelitatis, ne manu aut corde membra Filij tui iugulemus: sed simus omnes vnum in Christo, sicut ex vno pane vescimur & vni eademque capiti inserimur, & ab eo ad vitam æternam gestamur, A M E N.

DOMINICA PIORVM  
AUDITORVM SATVRATO-  
rum in deserto.

TE FILII Dei, qui auditores tuos pauisti in deserto intus tua efficaci consolatione, foris verò cibo miraculosè adducto, inuocamus, miserere etiam ex intimis tuis visceribus Ecclesiæ tuæ, quæ in deserto & Dalmanutha habitat, nec habet defensionem à magnis imperijs, sed ex tuo ore & collo solum pendet: Pasce

C

eam



eam vera luce agnitionis & invocationis tui: tribue etiam ex tuo consilio aliqua hospitia tuæ Ecclesiæ, & serua aliquos nidulos, in quibus sonet vox tua, sine corruptelis idolatricis. Iuuato nos, vt patienter feramus ærumnas, quæ nos propter confessionem veritatis premunt, & da vt lato corde in deserto & ieiunij etiam tuam vocem audiamus & discamus, vt tandem tuam præsentiam in liberatione tuorum læti agnoscamus & celebremus, Amen.

**DIE GLORIAE CHRISTI  
CONSPECTAB IN MONTE.**

**Æ T E R N E** Pater dilecti Filij tui, qui ex nube genus humanum clara voce allocutus es, & dixisti: Hic est Filius meus dilectus, &c. da vt tuo mandato obsequentes, Filium tuum foris in ministerio & intus in corde reuerenter audiamus, vt simus tibi dilecti in dilecto: Et tu Fili **D E I**, qui gustum æternæ vitæ & gloriæ in monte ostendisti, transfundito in mentes & animas nostras similem lucem, haustam ab æterno Patre tuo, qui est lux incomprehensibilis, eamque in te deriuat, vt nos etiam diuinæ naturæ fiamus participes, te per Spiritum sanctum corda nostra incitante, illustra ea splendore faciei tuæ, intuentes mentem & voluntatem tui Patris, & circunda nos augusta & lucida veste tuæ iusticiæ in hac vita per inchoationem, tandem verò in glorificatione Ecclesiæ consummata;



matæ, splendorem illum in anima & corpore nostro etiam immutato ad nouam, cœlestem & lucidam naturam, vt inseramur isti scholæ, in qua sunt colloquia sanctorum hominum differentium de tuo beneficio & de miranda Ecclesiæ collectione, in qua exauditur tua vox ostendens omnem sapientiam creationis & redemptionis generis humani, quæ in te tanquam in imagine æterni Patris conspicitur, & simus contubernales tui & vniuersi agminis beatorum angelorum & hominum, vbi verè bonum est esse, in gloria & læticia inenarrabili, Amen.

**DOMINICA VERORVM**

**ET FALSORVM PROPHE-  
TARVM,**

Matth. 7.

**FILII DEI** viui, qui per Verbum & Spiritum sanctum perpetuam tibi in genere humano colligis Ecclesiam, miserere nostri secundum promissionem Euangelij, da vt simus ciues tui cœtus, qui te verè agnoscit & celebrat: Libera verò Ecclesiam tuam à furoribus diabolorum, hostium tuorum, qui in organis suis horribiles vlulatus blasphemiarum contra veritatem tuam edunt, reprime falsos doctores, hypocritas & Enthusiastas, qui discedentes à norma tuæ doctrinæ proponunt commentitias opiniones hominum, quæ fructum nullum ferunt, quæ in veris tentationib. & lucta, nullam firmam consolationem monstrant anxie menti, nec foris

C 2

ostea-



ostendunt signa conuersæ mentis ad te vera penitentiã: Tu verò doce corda nostra, vt ex te arbore vitæ, & vite æternæ vitæ, hauriamus dulcem & efficacem succum, pascentem animas nostras vera luce & vita, vt facientes voluntatem æterni Patris tui in cœlum ingrediamur, AMEN.

P A R A E N E S I S.

V N I C A est causa, cur licet & necesse est discedere ab illis, qui præ se ferunt titulum Ecclesiæ & ordinariæ potestatis, idolatria: iuxta dicta: Hunc audite: Cauete vobis à Pseudo-prophetis, &c. Fugite idola. Si quis aliud Evangelium docuerit, &c. Sic nos sejunximus nos à Pontificijs, quia euertunt doctrinam fundamenti & stabiliunt idola. Euertunt primã tabulam Decalogi, quia obscurant doctrinam inuocationis & stabiliunt cultum hominum sanctorum mortuorum, & in adoratione Panis, qui est DEVS Maozim, confirmant tetra idola, obscurant & euertunt quintum & sextum præceptum in prohibitione ciborum, & in vsu coniugij: Similiter nonum & decimum, cum fingunt, concupiscentiam hærentem in nostra natura non esse peccatum: Euertunt articulum de gloria Filij Dei, cum constituent plures mediatores. Oppugnant articulum de Ecclesia, quia fingunt Ecclesiam esse regnum politicum, & alligant eam ad autoritatem hominum, quibus tribuerunt potestatem condendi novos articulos



articulos fidei. Euertunt articulum : Credo Remissionem peccatorum, quia dicunt, Non credas, sed dubites: dicunt de merito, non de gratuita remissione peccatorum. Ergo graues causae sunt, cur ab illis discessimus, & quarimus veram Ecclesiam, quæ audit vocem Christi.

Cum sectatorib. Schuenckfeldij est nobis lis etiam de aliquibus articulis fidei. Istorum omnium doctrina nullum parit fructum, quia nec Pontificij nec Enthusiastæ monstrant veros fontes consolationis. Aut homo fit hypocrita, aut adigitur ad desperationem, Unser lehre leret/ wie man seliglich sterben sol. Decerpamus ergo ficus & vuas non ex spinis & tribulis, sed ex arbore vitæ & vite vera, qui est Christus.

DIE EMIGRATIONIS MARIAE  
MATRIS CHRISTI  
ex hac vita, Luc. 10,

AETERNÆ, omnipotens, benefice DEVS, qui Mariam virginem, in cuius aluo carnem suam humanam assumpsit Filius tuus, posteaque eam cum suis inter ingentia pericula, bella, seditiones & famem clementissimè tu protexisti, eamque 59. anno ætatis suæ ad visibilem tui consuetudinem euocasti: Collige etiam tibi inter nos Ecclesiam, eamq; gubernare & protegere tuo auxilio. Iuuato nos, vt imitati exemplum sanctarum mulierum, Filium tuum hospitio excipiamus, in vera conuersione ex-



petentes ipsius consolationem & presentiam  
& facito, vt nequaquam distrahamur ad plura,  
non agitemur omni vento doctrinae, non fran-  
gamur metu periculorum: sed assidentes ad pe-  
des Christi, vnum quod necessarium est, eliga-  
mus, vt vocem Filij Dei sonantem in ministerio  
reuerenter audiamus, & vera agnitione ipsius  
quae est vita aeterna, perfundamur, quae a nobis  
in hac vita non auferatur, & in aeterna perficia-  
tur, A M E N.

**DOMINICA IN IVSTI OB-**  
**CONOMI LAVDATI PRO-**  
**pter calliditatem, Lucae 16.**

I V S T E tu quidem benefice Saluator nos  
obiurgas, & nostram segnitiem in quaerenda tua  
veritate vituperas: Procidimus supplices ante  
faciem tuam, & dolentes fatemur triste in nobis  
esse frigus & asperam glaciem nostri cordis, quod  
te non ardenti desiderio prosequitur, sed bona  
& voluptates huius periturae vitae, tuae veritati  
antefert: Inuocamus te ex parua fidei scintilla,  
quae in hac vita etiam in filijs lucis imbecillis  
est: Facito nos prudentes, cum tu sis sapientia  
aeterni Patris tui, auge nostram fidem: Opitu-  
lare nostrae imbecillitati: Iuuato vt seruemus  
ordinem a te institutum, & nobis prima cura  
sit, te complecti & retinere. Da etiam vt bonis  
istius vitae fruamur secundum tuam voluntate-  
m, vt ea conferamus ad conseruationem mi-  
nisterij,



nisterij, ad propagationem tuæ doctrinæ: Fac  
 ut inueniamus amicos illos qui in domo tua ha-  
 bitant: Tu optime Paterfamiliās, insere in librū  
 vitæ nomen nostrum. Fac nos ciues tui regni:  
 Et quia illud in hac vita inchoatur, largire ut illi  
 tui amici, te præeunte & gubernante, docendo  
 communicatione ministerij nos recipiant in æ-  
 terna tabernacula, in societatem bonorum Ec-  
 clesiæ, extra quam nulla est salus, ut in tristi an-  
 gustia nostri cordis, quando anima nostra, terri-  
 ta tuo iudicio aduersus peccata deficit, inuenia-  
 mus consolationem & æternam habitationem  
 apud Patrem tuum, Amen.

**DIE RECORDATIONIS BARTHOLOMÆI APOSTOLI.**

**Q**UANTA in tuis Apostolis **CHRISTE**  
 fuit imbecillitas & oscitantia, qui in suprema  
 cæca insituerunt litem de antecellentia & de  
 imperio mundano, deinde in ipso agone tuo  
 cum anima tua tristis esset vsque ad mortem  
 dormierunt: tanta verè est caligo & negligen-  
 tia huius vltimæ ætatis, quæ præliatur de opi-  
 bus sub prætextu Euangelij, indulget ambitio-  
 ni & fastui, & interea altum dormit, non mo-  
 uetur horribili idolatria, qua mundus implica-  
 tus est, qua tu contumelia afficeris, neque ip-  
 sa mole pœnarum, quæ nos premunt: Sed  
 tu Fili Dei, excute nobis istum stuporem, doce  
 tuos ministros ne fiat *φιλόνομοι*, non pugnent de



antecellentia, nec transforment Euangelium in regnum politicum, verum iuua nos, vt omnes cogitemus de tuo mandato, qui dixisti: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, in illa nobis etiam similes virtutes, quæ in te sunt, in gradu excellentissimo. Tu non perdidisti genus humanum quod te offenderat sed abiecasti te infra omnes angelos & homines, & hanc miseram nostram massam induisti, vt nos seruares, & nobis verè in altissima humanitate seruijsti. Tu, qui ab æterno affides ad mensam Patris tui, & in quo lucet omnis sapientia diuina, age nos infirmos etiam collocato in imis subsellijs tuæ mensæ, in qua tui Apostoli & Doctores, qui multos ad iusticiam erudierunt, fulgent vt lumina Ecclesiæ, & miranda claritate ab infirmioribus membris differunt. Verum sufficit nobis, si micæ colligimus ex tua mensa, quæ vescentes implet æterna beatitudine & gloria, Amen.

D I E N E C A T I O H A N. B A-  
P T I S T A E.

*Meretrix suadet, puella saltat: Rex iubet, sanctus decollatur.*

I T A tu decreuisti Fili D E I, vt excellentia membra Ecclesiæ, fulgentia fide & donis spiritus sancti, tibi fiant conformia etiam in passione: Ideò tuus heroicus præcursor etiam iugulatur, cui inter epulas & ludos ceruices abscinduntur: Et tu ipse ad tam horrendum impietatis exemplum



plum nullam vocem minacem edis contra Tyrannum, cum te etiam sub manum Patris tui potentem humiliasses. Te innocamus, adesto tuæ Ecclesiæ sub cruce, & iuato nos, ne pudeat nos stare sub cruce, cum tu in cruce pependeris. Seruato tibi tamen aliquas reliquias, ne omnes consumamur. Oneratos ærumanis iuva, ut respiciant ad te qui percutis. Sufficiat ipsis, etsi conteruntur, quod hoc tua manus facit. Reprime autem furores Diabolorum & Tyrannorum, qui conuiuia sua ornant sanguine piorum, quibus cariores sunt choreæ, delitiæ vitæ, conseruatio sui splendoris, quàm totum tuum ministerium & Ecclesia. Largire aliquot Abdias, qui Prophetas tuos suffurentur, qui tegant Ecclesiam tuam, ut multi in hac vita te cognoscant, & in omni æternitate celebrent, Amen.

**DOMINICA CHRISTI  
FUNDENTIS LACRYMAS PRO-  
pter interitum suæ gentis, Luc. 19.**

**D**V P L E X quidem te benefice Saluator bibentem ex torrente & gustantem mortem, oppressit dolor. Prior, læuissimus sensus iræ Dei percellentis tuam animã & vires corporis, cruciatu & terrore inenarrabili: alter verò & item tristis, cum præuideres maximam partem in generis humani, & præcipuè tuam gentem, spreto tuo beneficio perseueraturam in finali blasphemia & contemptu tui: Ideò ex consideratione

C 5

horri-



horribilium pœnarum, quæ Iudæos & partem generis humani damnatam opprimunt, tibi illo die, qui tibi in hac vita faulissimus illuxit, in medio triumpho copiosæ lacrymæ mitem faciem rigarunt: & conquestus es gemitu & voce lugubri de rabie diaboli tenentis captiua corda miserorum hominum. Te verò alloquimur Fili DEI: Exaruit olea, transfer autem tuum illum affectum in oleastros, in nos miseros & imbecilles, qui tuo gregi & tuæ massæ inserimur: Tu es Pontifex noster: qui tentatus es per omnia, vt posses affici nostris miserijs. Miserere tuæ Ecclesiæ, quam immani odio hostes tui oppugnant. Excute nobis profundum stertorem. Da vt agnoscamus diem visitationis, lucem, quæ te donante fulget. Tu tuo contactu aperi oculos nostros, vt ingrediatur lumen vitæ, & fruamur pace æterna apud te. Procul depelle à nobis barbara latrocinia, ne isti nidi qui præbent hospitia Ecclesiæ tuæ, fiant stabula immaniam Turcorum aut aliarum gentium, quæ te oderunt. Repurga tuam Ecclesiam foris ab omni idolatria: Splendeat lux incorruptæ doctrinæ: & intus purifica vera fide corda nostra, ne illa sint spelunca diabolorum: qui sunt homicidæ ab initio, sed sint templa diuinitatis, repleta fide & iusticia æterna, A M E N.

DOMINICA PHARISÆI  
ET PUBLICANI PRECANTIVM  
in templo, Luc. 18.

F I L I



**FILII DEI**, Domine Iesu Christe, qui es  
*καρδιογνώστης*, & iudicas interiores motus cordi-  
 um: Tu pronunciaſti: Quicumque ſe exaltat,  
 &c. Da vt iſtam regulam verè exprimamus: Tu  
 ab omni æternitate fuiſti exaltatus in loco ſu-  
 premo, in regno Patris tui: tamen ex immenſa  
 miſericordia humiliatiſti te, factus es minimus in  
 regno cœlorum, non ſolum quia in te maior  
 eſt reuerentia erga æternum Patrem tuum,  
 quàm in vlla alia creatura: ſed quia factus es  
*ἀνθρώπων* gro genere humano lapſo: Induiſti hanc  
 miſeram naturam, non rapuiſti uſum diuinita-  
 tis tempore humiliationis, ſed teipſum exina-  
 niſti uſque ad mortem: Ideo te **DEVS** exalta-  
 uit, & collocatus es ad dexteram æterni Patris  
 tui, vt ſis rex & caput Eccleſiæ tuæ. Iuua nos  
 dato tuo Spiritu ſancto, vt nos humiliemus  
 in corde contrito & tremente tuos ſermones,  
 vt ſeriò agnoſcamus noſtram infirmitatem, &  
 peccata: non tumeamus inani perſuaſione iuſti-  
 ciæ humanæ, quæ eſt ſicut pannus menſtruatæ  
 in conſpectu tuo: ſed verè eam habeamus vt  
*σκύβαλα*, & clamemus: Non intres Domine in  
 iudicium, &c. imitati exemplum humilis pecca-  
 toris, cum quo ſonemus: **DEVS** ſit propitiuſ  
 in me peccatorem: Et tu qui ex cœlo humili-  
 reſpicis, retrahere noſtra pauida corda ex dolori-  
 bus mortis: Inſtilla nobis cœleſtem tuam con-  
 ſolationem: Copula nos tibi ad vitam ſubli-  
 mem: Da vt in cruce etiam nos reuerenter hu-  
 miliemus ſub potentem manum tuam, in pre-  
 mendo



mendo & liberando: Et tu porrige nobis dextram tuam ne succumbamus, & tandem in glorificatione & exaltatione Ecclesiae tuae adducito nos sursum, vbi tu es ad dextram æterni Patris tui, & perpetui simus tecum, A M E N.

D I E N A T A L I M A R I A E  
V I R G I N I S.

A E T E R N E D E V S, Pater saluatoris nostri Iesu Christi, qui ex immensa bonitate Filium tuum voluisti assumere nostram naturam in aluo virginis Mariae, da vt simus membra illius coetus, qui hæc tua beneficia agnoscit & celebrat. Edita fuit in hanc lucem optima virgo tempore calamitosissimo, cum Herodes tyrannus iam annos 16. in populum Iudaicum grassaretur immanem in modum, & totam terram exteris latronibus repleuisset. Accesserat illo ipso anno fames horrenda & frivillima lues pecudum & hominum, & tamen tu manibus tuorum angelorum texisti cunas inopis infantis, & ab illis diabolos incitantes sua organa ad lanienam, & spargentes semina venenata in aërem depulisti: Ipsius etiam adolescentis formam & corpus mirabiliter defendisti: Sic custodi Ecclesiam tuam oppressam magna mole ærumnarum, in hac vltima mundi ætate. Et sicut tu iussissime Deus eodem die post annos 87. executionem iudicij tui contra synagogam hoste filij tui præstitisti, cum ista die sancta vrbs inflam-

mata



mata tota arderet, & conflagraret, & totius illius politiae rudera & cineres in auram spargerentur, vt extaret memoria, Filium virginis nouae Ecclesiae esse autorem: Ita flectito corda nostra, vt Filium tuum reuerenter audiamus, ipsius doctrinam accipiamus, & in foedere nouo tibi seruiamus propter Filium tuum dilectum, qui nostram fragilem massam ex semine Abrahae induit, eamque viuificat sua diuina natura, vt nos simul in ea gestet & seruet ad vitam aeternam,

AMEN.

Ewiger allmechtiger trostreicher Gott /  
 du warer einiger Vater vnser lieben Herrn  
 vnd Heylands Jesu Christi / der du vns aus  
 vnendlicher barmherzigkeit deinen Sohn  
 vom geheiligten leibe der Jungfrawen Mar-  
 ria hast lassen vnser menschliche Natur  
 warhafftig an sich nemen: Verley vns mis  
 heseligen Sündern gnediglich / das wir des  
 seligmachenden Leibs deines Sohns ware  
 Gliedmaß vnd Brüder werden / auch durch  
 die krafft des heiligen Geists ewig verblei-  
 ben / Vmb deines Namens ehre willen /  
 Amen.

PRECATIO AD DEVM CON-  
 TRA RABIEM TVRCICAM, MI-  
 nantem excidia Ecclesijs & imperijs  
 Christianis.

OMNIPOTENS, aeterno, vere, viue DE-  
 VS



V S , Pater Domini & Saluatoris nostri I E S U  
 C H R I S T I , qui vnâ cum Filio tuo imagine tua  
 substantiali, & cum Spiritu sancto tuo condidi-  
 sti cœlum, terram, angelos & homines & singu-  
 larum rerum substantias, ex liberrimo tuo con-  
 silio, gestas, conseruas & gubernas : Tu progre-  
 diens ex arcana sede sapientiæ tuæ per Filium  
 tuum allocutus es genus humanum, & dixisti :  
 Viuo ego, nolo mortem, &c. Item, Inuoca me  
 in die tribulationis. Nos miseri, sordidi & rei  
 homines, in corde contrito & tremente sermo-  
 nes tuos, supplices procidimus ante faciem tu-  
 am, agnoscimus & deploramus horribilia scele-  
 ra nostra, quibus te ad iram prouocauimus, &  
 fatemur, iustissimo tuo iudicio nos a te plecti,  
 & verè nos commeritos esse ista supplicia, quæ  
 in spectaculis tristissimarum pœnarum publica-  
 rum conspiciuntur : quod gentes immanes &  
 barbari latrones progressi in limites nostrarum  
 regionum crudeles faciunt vastitates, delent vr-  
 bes, scholas, Ecclesiâs, respublicas, mactant pro-  
 miscuam turbam imbellium hominum crude-  
 liter, ac miseros homines auulsos a mutuo cõ-  
 plexu suorum abducunt in longinquas & bar-  
 baras regiones ad seruitutem tristiore[m] ipsa  
 morte. Tu prædixisti Gog & Magog, Mesech  
 & Kedar gentes immanes & impias futuras esse  
 vindices peccatorum, quibus postrema ætas  
 mundi te offendit : Tibi D O M I N E iusticia,  
 nobis autem confusio faciei nostræ : Iram D O-  
 M I N I portabo, quoniam peccaui ei. Verun-  
 tamen



tamen cum sedeo in tenebris, **DOMINVS** est  
lux mea, & ipse est consolator meus. Confu-  
gimus igitur ad te **o** mitissime Pater, qui peten-  
tes & supplices tibi porrigimus Filium tuum,  
quem verè diligis, & in quo diligis ad te vera fi-  
de conuersos: Misere nostri secundum tuam  
promissionem: laua nos sanguine Filij tui: re-  
mitte nobis peccata nostra propter obedi-  
tiam nostri Mediatoris: Effunde in nos Spiri-  
tum sanctum tuum, qui inchoët in nobis no-  
uam & æternam vitam tibi placentem, & extin-  
guat omnes motus prauorum affectuum pu-  
gnantium cum tua voluntate. Mitiga nobis pœ-  
nas iustissimas, propter intercessionem vnige-  
niti Filij tui, qui est vmbra culum, ne ira tua de-  
leat totum genus humanum. Recordare **DO-**  
**MINE** in ira misericordiæ tuæ: Ne accendas  
totam iram tuam, quia Deus es & non homo.  
**DOMINE** nos sumus lutum tuum, tu es figu-  
lus noster, ne irascaris nimium. Si iniquitates  
obseruaueris Domine, **DOMINE** quis susti-  
nebit? Serua aliquas reliquias Ecclesiæ tuæ pro-  
pter Filium tuum: Collige tibi in hac nostra regio-  
ne semper aliquod agmen sanctum, quod te ve-  
rè agnoscat & celebret: Arce à nostris & libe-  
rorum nostrorum ceruicibus truces acinaces &  
gladios barbaricos, non sinas extinctis studijs  
& doctrina de agnitione & inuocatione tui tur-  
bata disciplina, euerfis legibus, has nostras vr-  
bes, quæ sunt hospitia & nidi tuæ Ecclesiæ fieri  
stabula & mapalia immanium latronum, qui  
blasphē-



blasphemum os suum in cœlum ponunt, & dilecto Filio tuo, tibi æterno Patri & Spiritui sancto conuitiū faciunt, & tibi apertè maledicunt, atque membra FILII tui crudeliter trucidant: Clamet sanguis filiorum tuorum ex terra in cœlum, & impetret à te vindictam. Serua has politias & imperia, quæ tibi aperiunt portas, vt ingrediaris ô rex gloriæ: Armato dextram clementissimi nostri Cæsaris, & digitos militum, qui verè prælia domini præliantur, doce ad bellum. Instilla illis veros motus pœnitentiæ, & inuocationis, vt non inueniatur in illis iniquitas, & in animis accende verum animi robur & zelum, vt fortiter præliantur cum Turcis, qui sunt hostes FILII tui, & Ecclesiæ tuæ: Et tu da salutare euentus, rege manus pugnantium, & terreto hostes tua potentia, vt erepti ex periculis, vnâ cum sanctissimo nostro magistratu, tibi toto pectore gratias agamus, & tibi in sanctitate & iustitia perpetuò seruiamus. Tu etiam Fili Dei Domine Iesu Christe, æterne Pontifex & rex noster, qui stas ad dexteram æterni Patris tui, semper interpellas pro nobis, Tu es tentatus per omnia, vt possis affici nostris miserijs: Afficiaris periculis nostris ô misericors DOMINE. Tu es magnus Michaël, protector Ecclesiæ tuæ, tu stas in excubijs pro filijs populi tui: Reprime diabolum hostem tuum, qui in blasphemis Turcis sonat vlulatus impios contra tuam gloriam & maiestatem, & conatur delere nomen & agnitionem tui in genere humano:



no : Tu nos miseras ouiculas pendentes ex tuo collo suscipe, complectere nos tuo gremio, foue nos tuo calore, consolare nos tuo Spiritu sancto inter has ærumnas, & ne sinas nos ab hoste tuo rari ex tuis manibus, præliare tua potentia contra hostem, cui nos non sumus pares. Iuua nos, vt dixisti, auxilio paruo : & fortunato labores nostri Cæsaris. Excita in eo animum & suppedita robur, vt defendat tuam gloriam, tuam Ecclesiam, & nostra tuguria, in quibus sonat tua doctrina, & in quibus nostri parui nati suas palmas ad te inuocantes attollunt, ita redante agnoscamus tuam præsentiam & opem in liberanda Ecclesia, & ex tua benignitate Reges & Principes abolitis omnibus falsis cultibus, conueniant in vnum & tibi seruiant, AMEN.

DOMINICA SVRDI ET

MVTI SANATI A DOMINO,

Marci 8.

I E S V C H R I S T E fili Dei, vnice medice animarum nostrarum : Tu omnia benè facis, surdos facis audire, & mutos loqui : Agnosci- mus nos miseri ægroti, per peccatum primo- rum parentum nostram naturam esse ream : & cum tu hominem lapsum tua luce transfusa ab æterno Patre tuo & viuifico calore tui spiritus nō amplius implet, nos esse miseros surda stros, non exaudire nos tuam, qui es λόγος & orator æterni

D

æterni



æterni Patris, vocem: neque eam qua foris genus humanum alloqueris, tegens peccata & monstrans Euangelij promissionem: neque eam qua intus in anima loqueris agnitionem, lucem & consolationem ab æterno Patre tuo. Lingua etiam nostra affecta paralyfi ex contactu & morfu vetiti pomi elanguit, nec exprimit voces fidei, inuocationis & confessionis, quas tu nostræ menti in prima creatione impresseras: Sed tu benefice Saluator, qui apparuisti denuo, vt destruas opera diaboli & omnia rursus beneficias: Segrega nos à populo, à multitudine generis humani impia, & tuo digito, dato tuo Spiritu sancto tange aures nostras, aperi mentem nostram, vt vocem tuam loquentis ad nos, foris & intus audiamus, in vera fide & agnitione tui ad te conuersi. Solue etiam vinculum linguæ nostræ, eijce à nobis perniciosum excrementum, illud virus, quod vnà cum succo pomi vetiti nobis instillauit diabolus. Cõfirmato linguam nostram calore tui Spiritus, vt tibi læti respondeamus: sonemus tuam gloriam, & seruemur in cœtu illorum, qui viuunt, audiunt & loquuntur ea quæ tibi grata sunt, Amen.

DOMINICA OPTIMI ET  
BENEFICI SAMARITANI,  
Luc. 10.

FILII DEI Domine Iesu Christe, gratias tibi agimus toto pectore, quod massam nostri generis



generis induisti, & in illa visibili consuetudine apud Apostolos tuos præstitisti obœdientiam Patri tuo, qua meritus es nobis reconciliationem apud Deum, & communicationem tui spiritualis. Deploramus veris gemitibus nostras miseras, & deserentes & turbantes integritatem, in qua conditi eramus, ex statu innocentie decepti à diabolo emigrauimus, & delicias prohibitas sectati fuimus, ubi demum à latrone hoste tuo, qui est mendax & homicida ab initio, qui calumniatus est verbum Dei in sese & homine, qui iugulauit sese & hominem, accipimus lethales plagas, & ab illo qui est *παρανομία*, & odio tui letatur nostra calamitate, in media morte relictum sumus, ex qua non lex, quæ est fulmen aduersus peccatores, nec politia Leuitica, quæ est tantum umbra & disciplina externa, nos eripere potuit. Sed tu optime & vetus ciuis Samaritæ, qui olim in illa arce stans in fastigio scalarum viatorem tuum Iacob consolatus es, monstrata illa vnione, qua tu cælum & terram copulas, opitulatus es saucio homini: Tu etiam benefice Samaritane afficiaris nostris morbis & ærumnis: tu sana omnia vulnera nostra. Repurga succo acriori tuæ legis sordes nostræ naturæ, & rursus suauissimo liquore tuæ consolationis mitiga dolores nostros, & glutinato lacera membra tua viuifica præsentia. Serua nobis ministerium incorruptæ doctrinæ, excita prudentes & fideles Pandochos, qui in hoc tristi exilio & magno nosocomio tuos ægrotos foueant sana doctrina, admonitione &





consolatione, donec te redeunte tibi in cœlis  
læti occurramus, resuscitati ad vitam, quæ erit  
sine vulneribus & ærumnis in regno Patris tui,  
Amen.

D I E Q V O C E L E B R A T V R  
M E M O R I A M A T T H A E I A P O -  
stoli & Euangelistæ, Matth. 9.

V o x tua est F I L I D E I, ægrotis esse o-  
pus medico: nos igitur miseros, languentes &  
poscentes opem, iuua tua diuina medicatione,  
asside etiam nobis peccatoribus, & pasce nos  
epulis tuæ consolationis & viuificationis: Mife-  
rere Ecclesiæ tuæ, cui totum corpus in hac vl-  
tima & delira mundi senecta oppressum est ma-  
gna mole morborum & malorum: Sedent do-  
ctores, vt in nundinis ad quæstum, Euangelium  
tuum transformant in pompam & aucupia o-  
pum: Tu igitur serua tibi aliqua membra inte-  
gra, quæ te medicum vnicum & liberatorem  
rectè agnoscant, qui nos à maledictione legis li-  
berasti & reddidisti iusticiam & vitam, placato  
æterno Patre tuo: Tu etiam docuisti, Ecclesi-  
am noui testamenti non alligatam esse ad poli-  
tiam Mosaicam, neque ad ceremonias & tradi-  
tiones excogitatas ab hominibus, & arguisti er-  
rorem Pharisaicum, qui omnibus ætatibus lu-  
cem doctrinæ tuæ obscurat, quod ceremoniæ  
sint anteferendæ operibus moralibus. Serua no-  
bis istam lucem, Facito vt te colamus non ge-  
stibus,



sibus, non mandatis hominum: sed ambule-  
mus in præceptis tuis, non patrum nostrorum,  
& te colamus in spiritu & veritate. Tu inchoa-  
to in nobis obœdientiam conformem tuæ legi  
in vtraque tabula, vt retinentes fidem & bonam  
conscientiam tibi in regno cœlesti restituti in  
integram libertatem, læti affideamus, Amen.

**D O M I N I C A D E C E M L E -**  
**P R O S O R V M, I N T E R Q V O S S O -**  
**l u s S a m a r i t a n u s f u i t g r a t u s.**

Nos quoque lepram nostræ naturæ (ô Do-  
mine Iesu Christe) dolentes agnoscimus: Et  
iure genus humanum lapsum in peccatum, se-  
gregatum fuisse à cœtu Ecclesiæ cœlestis fate-  
mur: sed simul ad te Medicum ex cœlo mis-  
sum raucam nostram vocem attollimus, te fide,  
languida quidem, fide tamen, intuentes & cla-  
mantes, Iesu præceptor miserere nostri, inuo-  
camus. Ablegas tu tuos ægros in hac vita ad  
ministerium, in quo sonat vox de sanatione eo-  
rum qui ad te conuertuntur. Tu iurā nos, vt  
in ista via & in hoc vitæ curriculo vera fide ap-  
prehendamus tuum beneficium. Et tu qui fa-  
ctus es victima & sanguinem fudisti, vt ex illius  
conspersione anima nostra à primi peccati ma-  
cula eluatur, & vt inserti tuo corpori viuamus  
& liberi dimittamur: facito etiam, vt hæc bona  
grato animo retineamus, non imitemur par-  
tem generis humani damnatā, quæ denuò sper-  
nit tu-



ait tuum beneficium, & seducta à Diabolo & impijs doctoribus in te est ingrata & ad te non redit: sed simus grati ciues Samariæ, procidamus ante pedes tuos, & tibi gloriam redemptionis nostri tribuamus, qui es misericors opitulatur & saluator omnium, qui à te petunt auxilium, AMEN.

DIE S. ANGELORVM ET  
DEO OBOEDIENTIVM.

OMNIPOTENS, æterne, viuifice DEVS, qui ab æterno genuisti Filium imaginem tuam, in quo fulget lux diuina inaccessibleis creaturis, cuius gustum & scintillam aliquam homines credentes, illustrante eos Filio tuo in vera conuersione & consolatione sentiunt & hauriunt. Tu per FILIUM tuum pronunciaſti decretum, Fiat lux, vbi non solum condita sunt corpora fulgentia nobili luce, sed irrationali, verum alias naturas spirituales, angelos, produxisti, in quos transfudisti radios tuæ lucis, tuæ sapientiæ, tuæ iusticiæ & vitæ, & agmen eorum qui in sua integritate steterunt, confirmasti ad perpetuam iusticiam & vitam, vt semper aspiciant vultum æterni patris, impleti consummata bonitate: illamque naturam omnium præstantissimam ex inenarrabili consilio & misericordia ordinasti, vt sit serua Ecclesiæ, vt defendat hunc squalidatum & imbecillem cœtum hominum, qui in hac vita ad Filium tuum conuertuntur



tuntur, & iubes heroicis & potentes illos spiritus tueri Ecclesiam, politias, pias scholas & hos miseros nidos, & cunas, in quibus habitant homines infirmi, te inuocantes in agnitione Filij tui. Tibi toto pectore agimus gratias pro tanto & tam immenso beneficio, & supplices oramus te, conuerte nos D O M I N E & conuertemur: Doce me etiam agnoscere tuum consilium, vt imitati exemplum sanctorum spirituum in vera humilitate seruiamus tibi & alijs hominibus, & perpetuò cingito nostras Ecclesias, nostras Respub. & œconomias præsidio angelorum tuorum. Arce verò à nobis & tugurijs nostris diabolos hostes tuos, spiritus mendaces, blasphemos, crudeles, homicidas, incestos, qui odio tui & Filij tui naturam humanam excruciant, illi insidiantur & hoc agunt, vt totum genus humanum fiat blasphemum in te: Reprime furores illorum grassantium in falsis doctoribus, in hostibus veritatis tuæ, in Turcis & alijs organis diaboli, quæ nos persequuntur: Iuua verò nos, vt in hac vita inserti tuo agmini, quod à te & sanctis angelis habet protectionem, maneamus fideles vsq; ad mortem, & translati in æternam vitam fiamus similes angelis, tibi cum tota Ecclesia cœlesti in omnem æternitatem gratias agentes, A M E N.

D O M I N I C A S O L I C I T V -

D I N I S E X D I F F I D E N T I A

veritate, Matth. 6.

D 4

F I L I



**F I L I D E I**, Domine Iesu Christe, qui dixisti : Scit Pater vester cœlestis, quod opus sit vobis his omnibus : Tu, qui es sapientia æterni Patris, intelligis quare hanc vitam nostram ita condideris, vt genus humanum ex paucis per generationem propagari oporteat, & cur nobis opus sit victu, defensione, institutione, cum alioqui magna agmina hominum sicut angelorum creare potuisses, & nos sustentare sine cibo sicut seruas stellas & corpora cœlestia. Cum igitur in hac vita hoc modo tibi velis colligere Ecclesiam inter magnos furores hostium tuorum, & nostro corpori, quod tuo erit conforme, adiunxeris culinā : Oramus te, doce nostras infirmas mentes, rege voluntatem & corda nostra, vt ordinem abs te sancitum non interuertamus : sed primū quæramus tuum regnum & tuam iusticiam, vt tu in nobis fulgeas, vt vera fide tuā iusticiam apprehendamus, & tibi vniamur, sicut subditi suo regi, & membra suo capiti : facito ne frangamur metu periculorum, inopiæ, persecutionum : & à tuo regno nos segregemus. Da vt inter istas metas sedulò discamus tuam voluntatem monstratam in verbo, & tu secundum promissionem tuam adijce nobis cætera : Largire nobis pacem, defensionem, victum : Da salutaria regimina, & serua nos in hac vita in tuo regno, donec mortui in Domino & resuscitati transferamur in aliud regnum, vbi culina nostri corporis cessabit & otiosa erit : Nos autem te monstrante, Patrem tuum de facie ad



cie ad faciem intuebimur, & causas omnium rerum & vniuersam sapientiam creationis & redemptionis hominum in te conspiciemus,  
A M E N.

DOM. VNICI FILII VIDVAE  
IN NAIM, REVOCATI IN VITAM à Domino, Luc. 7.

D O M I N E Iesu Christe, qui es dator æternæ vitæ, tibi gratias agimus toto corde, quod vera viscera tua misericordia erga nos oppressos corporalibus & æternis ærumnis commouentur: tu gustasti mortem, attigisti tua massa humana sepulcrum & terram, quam isto contactu tuo sanctificasti, vt pijs sit leuis, eosque in morte æterna retinere non possit. Stant ex tuo mandato gestatores & ministri mortis, peccatum & Diaboli, & tu credentes tuos retrahis ex faucibus mortis, reuocas eos ad nouam vitam, monstrata illis tua consolatione, doces eos loqui & sonare tuam gloriam: commendas eos in hac vita matri Ecclesiæ, eosq; tandem superata morte corporali & omnibus malis, adducturus es in tuum regnum. Supplices te inuocamus, miserere in hoc tristi tempore luctus miserrimæ Ecclesiæ tuæ, quæ est Almana & vidua orbata præsidijs humanis: nititur verò tui solius auxilio & protectione, Affare illam dulci tua voce, Noli flere: instilla tuis veram lucem fidei & consolationis: erige nos in media morte fiducia tuæ præsentis

D 5

&amp; spe



& spe æternæ vitæ: fugato satellites mortis, doce nos sonare tuam veritatem, & nos cum suavissima matre omnium electorum tandem collocato in veram patriam, in amœnam illam civitatem, vbi tuo & totius cœlestis Ecclesiæ conspectu in omni æternitate fruemur, Amen.

DOMINICA HYDROPICI  
SANATI DIE SABBATI.

ÆTERNÆ Pater Domini nostri IESU Christi, qui vnâ cum Filio tuo & Spiritu sancto in hunc mundum visibilem condidisti creaturâ rationalem, corporalem, hominem, & in eum ex immensa misericordia transfudisti similitudinē illarum rerum, quæ in fonte omnis bonitatis sunt optimæ; & in illa natura tanquam in templo tuo, inuens in ea, lucentem tuâ imaginem, cū suavi laticia acquiescere voluisti, & dulcissimum celebrare Sabbatum: Te, qui etiam turbata illa harmonia, & homine auulso à te & tui vnione, mirando consilio Filium substantialem imaginem tuam voluisti assumere nostram naturam, & in ea fieri victimâ pro peccatis generis humani, crucifigi, mori, & die magni Sabbati legalis, eundem delitescere in sepulcro, vbi modo inenarrabili ὁ λόγος nunquam deserens naturam assumptam, quieuit, vt nobis reddatur societas noui & æterni Sabbati: Te inuocamus, da vt Filius tuus, qui est Dominus illius Sabbati, in hac vita in nobis incipiat quiescere, sanet  
illuue



illuuiem nostræ naturæ Spiritu suo sancto, qui est flamma diuina, excicet immundiciem & hydropem nostræ massæ, vt nos qui sumus de carne ipsius, diligat, faciat nos vnum cum ipso per suum Spiritum, & tandem traducat nos in cœtum illum augustum, vbi est æternum Sabbatum, in tali gloria, quæ in cor humanum non ascendit: Iuua etiam vt interea in hac vita humiliemur sub tua manu potenti ad premendum & ad liberandum, vt agnoscamus nostram infirmitatem, tibi obcediamus in castigatione & cruce, ad te vera fide & spe læti exitus suspiciamus, petamus & expectemus à te liberationem, quæ tunc erit consummata, vbi tuus Filius tuba sua nouū Sabbatum indicet, & electos rursus vbi ipse sedet exaltatus ad dexteram tuam detrahet, depressis omnibus hostibus, qui ex immani arrogancia tecum ausi sunt pugnare & sese extra suas metas efferre, A M E N.

DOMINICA EX AE QVA  
TIONIS DECALOGI ET MES-  
sæ Domini Davidis.

DOMINE IESV CHRISTE, Orator æterni Patris tui, & verissimus legis diuinæ interpretres, tu pronunciaisti, præcipuum cultum esse vñionem hominis cum Deo, & illam ex tua sapientia fecisti exæquationem, quâ nulla creatura facere potuisset, quod diligere proximum, sit diligere DEVM, æternum & infinitum bonum:



num : Tu exprime in nobis similitudinem tuæ legis, & nos in talem transforma effigiem, vt anima nostra te illustrante & spiritu tuo sancto mouente copuletur cum æterno Patre tuo, vt in nobis luceat imago similis integritatis, similis agnitionis, iusticiæ & motuum, qualis fulget in te, qui es ἀπὸ ὕψους æterni Patris tui : Da etiam, vt in hac vita maneamus coniuncti cum reliquis membris tui corporis, in simili dilectione & concordia, vt simus plura corpora, sed ex amore vna anima, à te illustrata & viuificata per tuum spiritum, sicut in nostro corpore membra, positu, figura, & vsu, dissimilia, ex eodem fonte vitæ, eodem spiritu vitali viuificantur & sustentantur. Tu etiam Messia & Saluator noster loquere in cordibus nostris tuam sapientiam, vt territi voce legis accusantis nostra peccata ad te confugiamus, vt in omni agone compellati, quomodo tu sis noster D O M I N U S, non obmutescamus, sed te qui verè noster es, redigens omnia ad vnum caput, agnoscamus esse victorem mortis, datorem æternæ vitæ, Dominum & Salvatorem nostrum merito & efficacia, qui sedes ad dexteram æterni Patris tui, vt deleas hostes tuos, & credentes extractos ex morte, sis in conspectum æterni Patris tui, A M E N.

D O M I N I C A P A R A L Y T I -  
C I S A N A T I I N C I V I T A T E  
Christi, Matth. 9.

Tv



**TU FILI DEI**, qui fuisti ciuis Caper-  
 naum, amicus Iairi & Centurionis, sis etiam in  
 medio nostri: fac vt nostra ciuitas sit amœna,  
 vt nostra Ecclesia & Curia te habeat amicum,  
 sit concordia in vera agnitione tui, simus vnum  
 in te, vt etiam post hanc vitam simus ciues æter-  
 ni tui regni: & tu vnice Medice animarum &  
 corporum languentium, qui ostendisti morbos  
 & calamitates corporis esse pœnas peccati &  
 commonestiones de ira Dei aduersus pecca-  
 tum: tollito in nobis radicem omnis mali tua  
 diuina præsentia, affare in luctu conscientiae &  
 in agone, nostra anxia corda, tua hac viuifica cõ-  
 solatione: Confide fili, remittuntur tibi peccata  
 tua: nostra frigida & tepida membra, nostra in-  
 ertia corda, calefacito tuo Spiritu, & facito vt ea  
 sint agilia, ad tuam obœdientiam: foris etiam  
 mitiga nobis ærumnas, facito vt nobis tuum  
 onus sit leue, gestemus nostrum lectum, nostra  
 corpora obnoxia morti & ærumnis, nostram  
 crucem, in nostra vocatione, fide & spe tui au-  
 xilij patienter: & glorificemus æternum Pa-  
 trem tuum, qui in humana tua natura tantam  
 potestatem exercet, & nos insertos in ea facit  
 consortes æternæ vitæ & gloriæ tuæ, Amen.

**DIE RECORDATIONIS APO-  
 STOLORVM SIMONIS, ET IVDÆ  
 filiorum Mariæ, sororis matris Christi.**

**DOMINE Iesu Christe, qui mœstos tuos  
 Aposto-**



apostolos, subituros odia mundi, consolatus es  
 hac dulci voce: Ego vos ex mundo segregavi:  
 ideo mundus vos odit. Segrega nos etiam ex  
 caligine, ex idolis & turpitudine huius mundi:  
 & infere nos tuo cœtui, in quo habitat diuini-  
 tas. Da ut simus coniuncti in vera dilectione,  
 copulati ad æternum Patrem tuum per tuum  
 Spiritum, qui est vinculum coagmentationis.  
 Fac ut non expauescamus iniqua iudicia mun-  
 di, nec propter pericula à tua veritate deficia-  
 mus, sed patienter iniurias, quæ nobis tecum  
 communes sunt, feramus: sicut præstantissimis  
 doctoribus generis humani Apostolis & cogna-  
 tis tuis impressisti symbola tuæ passionis, eosque  
 tibi fecisti conformes, A M E N.

D I E Q V O C E L E B R A T V R  
 G L O R I A V N I V E R S A E E C C L E -  
 siæ viuentis in consuetudine cœlesti, Mat. 5.

A G I M V S tibi gratias æterne Pater Do-  
 mini nostri Iesu Christi, quod ex immensa mi-  
 sericordia per Filium tuum in Spiritu sancto  
 perpetuam ex hac misera massa generis humani  
 tibi colligis Ecclesiam, eamque contra furores  
 hostium tuorum diabolorum, ac satellitum eius  
 potenter defendis, quam deinde resuscitatam  
 ex morte Fili<sup>o</sup> tuus ornabit gloria inenarrabili:  
 supplices te rogamus, miserere nostri propter  
 eundem Filium tuum, quem constituisti nobis  
*μεσότης ἡμῶν ἰκέτης.* Collige inter nos tibi per-  
 petuo



peruo aliquod agmen sanctum, quod tibi serui-  
 at in fide & conscientia bona: Iuuato vt in hac  
 vita inchoetur in nobis beneficium æternæ vi-  
 tæ, tibi obœdiamus in corde contrito, patienter  
 feramus ærumnas comitantes confessionem:  
 simus mites, benefici, esuriamus & sitiamus tu-  
 am iusticiam toto corde, & ea pabula vitæ vnice  
 queramus: facito vt gaudium nostrum sit per-  
 fectum: Verè lætemur fide intuente illum au-  
 gustum cœtum beatorum angelorum & homi-  
 num, qui tua visibili consuetudine fruuntur: in  
 quibus fulget Filius tuus, quem vident de facie  
 ad faciem, & impleti inenarrabili læticia audiunt  
 eum concionantem de miranda tua sapientia in  
 collectione & conseruatione Ecclesiæ: ad illud  
 gloriosum agmen facito vt nos aggregemus in  
 hac vita, & deinde simus ciues illius æterni re-  
 gni tui, cum omnibus sanctis angelis & homini-  
 bus: Beati qui habitant in domo tua Domine,  
 in secula seculorum laudabunt te, Amen.

P A R A E N E S I S.

Ecclesia Catholica non significat cœtum, qui  
 retinet & defendit vitiosam consuetudinem  
 multorum annorum, pugnans cum funda-  
 mento: cum vitiosa consuetudo non sit regula  
 diuina, sed asperrima tyrannis: Sed significat  
 agmen collectum ex toto genere humano, Iu-  
 daeis & gentibus, non alligatum ad certum lo-  
 cum, aut ad politiam Mosaicam: quod retinet  
 fundamentum suæ doctrinæ congruens ad  
 normam



normam scripturæ Prophetiæ & Apostolicæ, quod alio tempore est frequentius & augustius, alio tempore obscurius & minus frequens. Manifestum est, paulatim creuisse abusus, inter quos multi sunt admodum recentes. Quare illi iactitant consensum Ecclesiæ Catholicæ? qui sciunt veterem Ecclesiam non ita prouoluisse sese ad statuas: non transformasse sanctam cœnam in opus toto genere diuersum ab institutione: non iugulasse innocentes homines propter veram inuocationem, propter coniugium aut vsum ciborum à Deo concessorum. Teneamus igitur regulam: Si quis aliud Euangelium docuerit, &c. Fugite idola. Hunc audite.

DOMINICA VESTIS  
NUP TIALIS, Matth. 22.

Æ T E R N E Pater dilecti F I L I I tui Domini nostri Iesu Christi, qui es conditor & Rex vniuersæ creaturæ tuæ, tibi toto pectore gratias agimus, quod genus humanum lapsum per peccatum in æternam mortem, non abiiecisti in perpetuam damnationem sicut diabolos, sed ex inenarrabili bonitate ex arcano consilio tuo produxisti Filium tuum, eumque constituisti sponsum, vt assumpta nostra carne credentes sibi desponderet ad societatem indissolubilem: Tibi gloria & laus, quod hoc foedus subinde generi humano continua serie doctorum emissa denunciasti, & instituto ministerio publico ad diuinas



diuinas istas nuptias omnes euocasti: Inuoca-  
 mus te per & propter eundem Filium tuum,  
 qui stans ad aram & placans irā tuam aduersus  
 nostra peccata, Ecclesiam supplicem recipit, &  
 cum ea æternum fœdus paciscitur: Exime nos  
 ex numero ingratorum Iudæorum & aliorum  
 hominū, qui hæc tua beneficia sceleratē aspernā-  
 tur & crudelitatem in ministros tuos exercent:  
 Facito etiam, vt effugere possimus ventura ma-  
 la, quibus tu mundum propter contemptum tuæ  
 promissionis, propter idola & tyrannidem op-  
 primis: Immutato corda nostra tuo Spiritu,  
 vt auidi ad mensam tuam accurramus, ornatū  
 vestimento iusticiæ, fidei & bonæ conscientiæ,  
 vt sine hypocrisi, sine erroribus in fundamento,  
 & sine peccatis contra conscientiam inuenia-  
 mur in numero electorum & sincerorum: &  
 effugiamus tenebras, in quib. est horribilis fuga  
 tui, pavor & cruciatus inenarrabilis. Verè autem  
 despondeamur in fide & virtute diuino sponso  
 tuo, inseramur ipsius massæ humanæ, simus duo  
 in vna carne, adhæreamus ipsi ita vt simus v-  
 nus spiritus, quem ipse ex tuo pectore & suo  
 spirat in membra sua, vt cum eo viuant simili  
 vita, vt ex ipso hauriant diuinos motus fidei,  
 consolationis, læticiæ & vitæ æternæ, vt ab ipso  
 habeāt in hac misera vita, foris etiam protectio-  
 nem, sicut tenera sponsa à suo sponso, cui sup-  
 plex ad aram commendatur, vt omni tempore  
 sint duo corpora & vnica anima: tandem ex-  
 pleto curriculo hoc ærumnoso cum omnibus  
 E electis

ce,  
 ius,  
 Ma-  
 ter  
 illi  
 qui  
 misse  
 cœ-  
 titu-  
 ro-  
 ium  
 ea-  
 ium

Do-  
 Rex  
 tias  
 pec-  
 per-  
 d ex  
 tuo  
 uissi  
 sibi  
 Ti-  
 ge-  
 missa  
 o ad  
 inas



electis sistito nos ad consuetudinem tui visibilē,  
vt in æterna societate & læticia, apud sponsum  
vniuersæ Ecclesiæ commoremur, A M E N.

DOMINICA A VLICI CON-  
FUGIENTIS AD CHRISTVM FI-  
de languida, fide tamen, Iohan. 5.

V T pius aulicus in sua calamitate ex scintilla  
fidei, conuersus ad Christum, ab eo opem peti-  
uit, ita te inuocamus Fili Dei, facito vt nostræ  
aulæ te quærant, te rectè agnoscant & celebrent,  
& tu qui obiurgas duriciem & frigus nostri pe-  
ctoris, quod non dicenti D e o firmiter assenti-  
tur; & tamen linum fumigans non extinguis,  
emenda caliginem nostræ mentis, extingue du-  
bitationes de tua voluntate hærentes in nobis:  
Opitulare clementer nostræ imbecillitati: fac  
vt assiduè intueamur signum Ionæ, quod om-  
nium est euidentissimum in cælo & in terra:  
Loquere intus in cordibus nostris sapientiam  
tuam, monstrantem voluntatem æterni Patris  
tui, qui nos recipit propter tuam obœdientiam,  
quod factus es victima pro nobis, passus es te  
absorberi à morte, & rediuius tuam massam  
ac nostram resuscitas: Iuuato corda nostra tuo  
Spiritu, vt vera fide hoc tuum beneficium nobis  
applicemus, & tibi promittenti vitam æternam  
& auxilium etiam in corporalibus ærumnis vel  
in media morte assentiamur, credentes in spem  
contra spem: Et tu etiam mitiga nobis pœnas,  
Tribui



Tribuito salutare euentus : facito vt nostræ etiam domus fiant Ecclesiæ, coniunctæ in eadem confessione & inuocatione cum pijs Galilæis, celebrantes tua beneficia hic & in omni æternitate, A M E N.

**DOMINICA MYRIADIS**  
**TALENTORVM DONATAE IN-**  
 grato seruo, Matth. 18.

MAGNE Rex cœli & terræ, in cuius manu hæc tota mundi machina sita est, agnosci-  
 mus dolentes magnitudinem delicti nostri &  
 molem calamitatum, quibus genus humanum  
 propter peccatum subiecisti. Experimur in pu-  
 blicis & tragicis pœnis hanc tristem & querulam  
 vocem : Iniquitates nostræ sicut venti dissipau-  
 erunt nos. Euocas ex tuo iusto iudicio gen-  
 tes barbaras, crudeles & impias, quæ populum  
 tuum propter idolatriam, superstitiones, scelera  
 contra conscientiam & profanam securitatem  
 opprimunt, & miseras familias à mutuo com-  
 plexu auellunt & diripiunt, sicut ventus imma-  
 ni turbine cumulum pælearum in auras subla-  
 tum disijcit : Venduntur mariti, coniuges, paru-  
 nati, miseri senes, ad seruitutem, ipsa morte tri-  
 stiore : Sed tu figulus noster es, nos sumus  
 tuum lutum, ne irascaris nimium. Procidimus  
 supplices ante tuam faciem, porrigimus tibi tu-  
 um Filium, qui in suos humeros grande deli-  
 ctum deriuauit, qui æquali compensatione tuæ  
 E 2 iusti-



iusticiæ satisfecit: Et nunc stat ad dexteram tuam interpellans pro nobis, & est umbraculum ne ira tua absorbeat totum genus humanum. Propter eum exaudi nos: Remitte nobis graua peccata nostra propter meritum FILII tui, mitiga etiam nobis pœnas, collige tibi inter nos perpetuam Ecclesiam: Serua aliqua hospitia, in quibus sonet vox de vera agnitione & inuocatione tui: Flectito etiam corda nostra ad veram pietatem, ad nouam obœdientiam, vt induamus viscera misericordiæ, iuuemus calamitosos, leniamus ærumnas miseris, simus misericordes, vt misericordiam consequamur, decedamus de nostro iure, sicut tuus Filius exinaniuit sese, & genus humanum ex æterna morte eripuit. Libera nos à tortoribus, à pauoribus conscientie, accusantis ingratos sine intermissione, à pœnis æternæ mortis & cruciatibus, quos sustinent diaboli hostes tui, Amen.

DOM. CAESARIS CONFIRMATA CHRISTO, Matth. 22.

FILII DEI, Domine Iesu Christe, ex corde sincero profitemur, te esse veracem & monstrare viam Dei in veritate. Tu es sapientia æterni Patris, per quam Reges regnant & iudices iusta decernunt: Per te Ecclesiæ tuæ patefactio facta est de successione Monarchiarum in hoc mundo, & de æterno tuo regno, quod post hanc vitam deletis omnibus imperijs, quæ te  
con-



contemserunt inchoabis : Tu voluisti etiam nominare Cæsarem & Romanum imperium, sub quo Ecclesia noui testamenti in hoc mundo colligitur : Asperrimè quidem crudele illud regnum in teneram & nascentem Ecclesiam seuijt, & innumerabilia membra tui corporis immani cum rabie trucidauit. Sed tibi gratias agimus, quod inter furores illos diabolorum & impiorum Cæsarum, tamen seruasti aliquas reliquias Ecclesiæ, & in ipso sanguine sanctorum tuorum veritatem confirmasti & stabilijsti : Tibi etiam toto pectore gratias agimus, quod tallum Gigantæ statuæ constatum ex limo & ferro adhuc fulcis, quod hactenus à nostro magistratu & prouincijs arces tyrannidem Turcicam, quæ facit vastitatem in Ecclesia & politijs, stabilis blasphemias aduersus verum D E V M : Et quod inter illas ruinas & inter rudera Romani imperij collabentis, colligis tibi aliquod sanctum agmen inter nos. Inuocamus te imis gemitibus, serua etiam deinceps has politias, quæ præbent hospitia tuæ Ecclesiæ, & defende nostrum propitium Cæsarem & hoc regimen contra omnes furores diaboli, Turcorum & aliorum organorum diaboli, vt in hac vita inchoetur in nobis regnum illud, quod generi humano palam ostendetur, cum lapis ex monte auulsus totum Gigantem concutiet & demolietur : Flectito nostras mentes, vt intelligamus & retineamus discrimen potestatis politicæ & Evangelij : Iuuato nos tua consolatione, vt ærumnas

E 3                      quæ



quæ in hac vltima mundi senectâ crescunt, patienter feramus: Cæsari reddamus quæ Cæsaris sunt, tribuentes ipsi obœdientiam, honorem & tributum, & rursus sub alis Cæsaris, qui sit nutricius tuæ Ecclesiæ, tibi æterno Patri & spiritui sancto tribuamus debitum honorem agnitionis, inuocationis & obœdientiæ, secundum verbum quod tu protulisti ex sinu Patris tui,  
**A M E N.**

**DOMINICA FILIAE IAIRI  
 PASTORIS RESUSCITATAE  
 ex morte, Matth. 9.**

**V**T pius pastor Iairus, perfusus luce veræ agnitionis tuæ, ad tuos pedes supplex procidit, & petiuit vt manum tuam mortuæ filiaë imponeres: Ita Fili Dei nos supplices oramus te, porrige nobis tuam viuificam dexteram, & tuo contactu redde nobis vitam & salutem æternam. Tu tibicines & turbam tumultuantē eijs, quia sapientia humana non tollit mortem, nec medetur cordibus oppressis dolore mortis. Tu etiam punies omnes profanas & epicureas mentes, quæ tuum beneficium aspernantur, & articulum de immortalitate derident. Exime nos ex numero illorum, & fac nos socios illius cœtus, cui tu manum porrigis, & communicas illi sapientiam & vitam tuam. Vt etiam pia fœmina inquinata immundicie & sordibus ad te confugit, & ex tuo contactu sanitatem adeptâ est:  
 Ita



Ita iuuato nos optime medice animarum nostrarum, vt agnoscentes nostram immundiciem, nostræ naturæ infirmitatem, ex qua propter peccatum sanguis & cœlestis calor infusus nobis in creatione effluit, & qui sumus cruenti in pœnis, sicut vermiculus, & sicut latro stillans sanguinem in supplicio, te quæramus: inuoluamus nos vera fide in tuam fimbriam, in tuam naturam humanam, quam induisti propter nos, ex qua egreditur virtus viuifica, ex qua propagatur salutaris spiritus accendens in nobis lucem & vitam similem tibi & æterno Patri, & tollens morbos miseræ nostræ naturæ, vt tibi inferti & tibi adhærentes per eundem Spiritum in illa fide seruemur ad æternam vitam, vbi erit consummata sanitas, A M E N.

DOMINICA IDOLI VASTANTIS TOTVM CVLTVM,  
Matth. 25.

Nos quidem incidimus in confusiones & calamitates vltimæ ætatis mundi prædictas tuæ, ô Christe, & Prophetarum voce. Stat in loco sancto, in coetu qui habet nomen Ecclesiæ, idolum vastans omnem cultum, Deus Maozim, qui colitur auro & argento, cum horribili contumelia tui & profanatione tui nominis: Ideo veniant pœnæ fatales super nos: Confirmatur dextera regni Turcici, vindex Idolatriæ & scelerum, quibus orbis Christianus inquinatus est.



Furit diabolus hostis tuus in spargendis corruptelis doctrinæ tuæ, in stabiliendis erroribus contra tuam gloriam & veritatem. Denique mundus verè volutatur in malo, & grauissimè Spiritus sanctus in pectoribus piorum turbatur. Ideò tu fili Dei adesto misero tuo agmini. Obfigna legem in auditoribus tuis, Seruato tibi aliquod semen sanctum, quod genu suum coram Baal non curuet, quod te non quærat in deserto, in cœtu segregato ab Ecclesia tua, qui nullam monstrat firmam consolationem anxij mentibus, non in cubilibus & in cœtu, qui Ecclesiam alligat ad successionem politicam Episcoporum & Principum. Mitiga etiam nobis calamitates, & largitor nobis verum animi robur, ne à te deficiamus propter opes, vel quietem huius mundi. Et tu Domine Iesu Christe mane nobiscum, quia aduersperascit, non deseras nos, ne nos te deseramus. Fac vt quamprimum illucescat ille tuus faustissimus dies, in quo palam te angelis & generi humano ostendes, & electis tuis tribues vitam sine ærumnis & lacrimis. Custodi nos vt pupillam oculi tui, in tuo grege: Oriatur in nobis fulgor & Sol iusticiæ, perfundens nostras mentes vera luce & agnitione tui, deletis omnibus tenebris & corruptelis idolatricis. Fac vt ex tuo cadauere, ex tua natura humana, quæ propter nos mactata est, sugamus succum pascentem & conseruantem nos ad æternam vitam, vt te fulgentem in nubibus læti conspiciamus: Et sicut illustres aquilæ, elati in



ei in altum in hac vita, fide quæramus ea quæ  
 sursum sunt, vbi tu es ad dexteram Patris tui:  
 Et deinde obuiam tibi progredientes, resusci-  
 tati ex morte, ad consuetudinem tui visibilem  
 transferamur, sicut dixisti: Volo Pater, vt vbi  
 sum ego, sint & ministri mei, vt videant glori-  
 am meam, &c. A M E N.

Chryf. in epistol. 1. Cor. 10. homil. 24. Vbi  
 enim Cadauer, inquit Christus, illic & Aquilæ.  
 Cadauer, Domini corpus, propter mortem.  
 Nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexisse-  
 mus. Aquilas autem appellat, vt ostendat, ad alta  
 eum oportere attendere, qui ad hoc corpus ac-  
 cedit, & nihil cum terra ei debere esse comüne,  
 neque ad inferiora trahi & repere: sed ad supe-  
 riora semper volare, & in solem iustitiæ intueri,  
 mentisq; oculum acutissimum habere. Aquila-  
 rum enim non graculorum hæc mensa est.

**DIE QVO FIT RECORDA-  
 TIO ANDREAE APOSTOLI,  
 fratris Petri.**

T I B I toto pectore gratias agimus Fili Dei,  
 caput & custos Ecclesiæ tuæ, quod ex immunda  
 massa generis humani perpetuo tibi excerpis  
 sanctum agmen, agglutinatum tibi vera agni-  
 tione, iusticia ac vita, tu subinde promissionem  
 de reconciliatione hominis lapsi repetiisti, illu-  
 strasti, continua serie excellentium doctorum  
 E 5 emissa,



emissa, constituisti etiam eidem tuæ sapientiæ certam arcem in medio orbis habitati erectam politiam Mosaicam, vnde ea à toto genere humano exaudiri possit: tandem apparuisti in carne, sustulisti vincula veteris testamenti, & novum fœdus tua voce exorsus es, & vocasti propagatores illius sanctos tuos Apostolos, quos voluisti esse testes tuæ veritatis sine potestate politica, habentes testimonia quod non errent: Servato in nobis lucem istam, vt istis tuis testibus & scriptis illorum tanquam voci de cœlo sonanti assentiamur, & simus ciues illius cœtus, qui extructus est super fundamentam Prophezarum & Apostolorum, in qua structura tu es lapis angularis, gestans totum ædificium verbo potentie tuæ: Da vt imitati sanctorum doctorum exempla te sequamur, de quibus dictum est: Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, redibunt cum exultatione portantes manipulos suos. Dato etiam Ecclesie tuæ perpetuò sanctos & fideles doctores, qui sint piscatores hominum, qui retineant formam sanorum verborum, sint fideles œconomi tuorum mysteriorum, & magnum gregem tuo regno aggregent, donec consummato numero electorum, rete ministerij suspendatur, & tota Ecclesia conspectu tui visibili fruatur, Amen.

DOMINICA PRIMA IN  
RECORDATIONE ADVENTVS  
Christi, Matth. 21.

INSTAT



**I N S T A T** tempus, quo Ecclesia proponit  
 nobis commonefactionem de beneficijs **FILII**  
 Dei, qui & assumpta nostra natura in hoc mun-  
 do apparuit, & rursus resuscitato toto genere  
 humano palam conspicietur, vt puniat holles  
 suos, & æterna gloria ornet Ecclesiam suam:  
 Te igitur compellamus **Fili D E I**, Domine Iesu  
 Christe, qui regia pompa sanctam urbem in-  
 gressus es, vt extaret publicum testimonium  
 tuæ exhibitionis, aggregato nos ad illud agmē,  
 quod tibi canit gloriam, quod tibi ramos victo-  
 riæ præfert, & vestes tuo iumento substernit.  
 Iuuato nos, vt procul seiuncti à caterua diabo-  
 lorum & hominum, qui vlulatus blasphemos  
 contra te edunt, sonemus tuam veritatem in ve-  
 ra agnitione & iusticia: Sis tu noster Rex hic  
 & in tota æternitate, implens nos tua luce & tua  
 vita, defendens nos aduersus omnes conatus  
 hostium tuorum: perficias tibi laudem ex ore  
 infantium & lactentium. Serua nos imbecilles,  
 qui sumus tua soboles, qui pendemus ex tuo  
 collo & recurrimus ad tuum gremium, sicut ia-  
 fans ad suos parentes: Fac vt verba quæ in no-  
 bis per spiritum tuum sonas, imitemur, & vt illa  
 tua sapientia vagiens in nobis miseris confun-  
 dat audaciam & potentiam inimicorum tuo-  
 rum: Da vt tuam victoriam grata mente præ-  
 dicemus, vt nostro loco conseruationem mini-  
 sterij iuuenus, atque etiam vitam & fortunas  
 nostras propter confessionem tuæ veritatis in  
 discrimen ponamus: Et tu rursus benedictum  
 semen



semen Abrahæ benedicito nobis tua efficaci  
 præsentia, & fac nos socios tuæ Ecclesiæ, quæ  
 nomen habet à tuo nomine: Et orna nos glo-  
 ria diuina, quam accepisti ab æterno Patre pro-  
 pter consortes tuos, vt in hac vita & deinceps in  
 æterna, læti tibi gloriam canamus, Amen.

**DOMINICA SIGNORVM**  
**QVAE ANTECEDENT FINEM**  
 mundi, Lucæ 21.

**VTRVNQVE** tua voce **FILII DEI** præ-  
 dictum est, in hac vltima & delira mundi sene-  
 sta, maiores & grauiores futuras esse in genere  
 humano confusiones & ærumnas: & simul te,  
 qui es custos Ecclesiæ tuæ, tamen inter illas rui-  
 nas imperiorum & hostium tuorum furores,  
 seruaturum aliquas reliquias Ecclesiæ tuæ, ne  
 inuocatio & agnitio tui vera ante finem huius  
 mundi prorsus deleatur. Nos igitur ad te con-  
 fugimus supplices, oppressi magna mole calami-  
 tatum, quæ nobis ideo cumulantur, quod pec-  
 cata senescentis mundi grauiora sunt & tristio-  
 ra, & quia diabolus hostis tuus sentit præ fori-  
 bus esse diem iudicij, in quo turpitude ipsius  
 omnibus electis creaturis palam ostendetur, &  
 ipse in æternos cruciatus abijcietur: Ideo im-  
 mani cum rabie sæuit aduersus electum agmen-  
 tum, & vellet totum humanum genus à te a-  
 uulsum, fieri blasphemum aduersus verum De-  
 um. Gemit etiam vnà cum electis tuis hæc tota  
 machi-



machina mundi, & cum desiderio inchoationem noui status expectat. Excruciantur animi hominum miseris intolerabilibus, dubitationibus de tua veritate & ærumnarum cumulo, quæ ruentibus imperijs singulis accidunt. Secundum igitur tuam admonitionem intuemur signa illa, & consideramus dulcia germina tuæ vocis, quæ hæc omnia prædixit, suspicimus & attollimus capita nostra ad te, qui sursum es ad dexteram æterni Patris, & expectamus lætum illum diem in fide & vera inuocatione, quando in nubibus cum gloria conspiceris, vt Ecclesiam ex tantis malis liberet. Tu optime protector tuæ Ecclesiæ, regito nos tuo verbo & spiritu, vt simus vigiles, ne in hac auara & ebria mundi ætate inuoluamur curis huius mundi, quæ animos ab exercitijs pietatis abducunt, & motus à Spiritu tuo excitatos suffocant: neque etiam contaminemur luxu & crapula, nec illicitis voluptatibus & helluationibus Spiritum sanctum qui se spiritibus natis in nostra natura permiscet, excutiamus, & nostra corpora faciamus domicilia spurcorum spirituum, qui ebrios & securos in tristem turpitudinem & æternum exitium rapiunt. Tu purifica nostra corda tuo Spiritu, & luceat in nobis tua agnitio, quæ tenebras nostras aboleat & sanctos motus in nobis accendat, vt omni tempore perseueremus in vera inuocatione tui, & tu qui promissisti nobis protectionem & mitigationem pœnarum, facito, vt effugere possimus ventura mala & stare

stare



stare ante tuum conspectum, A M E N.

DOM. CHRISTI QUI EST MI-  
NIMVS IN REGNO COELORVM,  
& Iohannis Baptistæ, qui est maximus in-  
ter electos Christi, Matth. 11.

FILII DEI Domine Iesu Christe, qui in-  
firmos discipulos Iohannis, quos ad te ex tristi  
suo carcere ablegauit, clementer erudijsti, & illis  
testimonia publicè edita, de tua persona & offi-  
cio proposuisti. Fer etiam opem imbecillitati  
nostræ, medere caligini & dubitationibus no-  
stræ mentis. Confirma nostra anxia corda, ne  
à tua veritate & Ecclesia tua propter scandala,  
propter ærumnas, propter deformem speciem  
tuorum membrorum deficiamus: sed innita-  
mur tuo verbo & patefactionibus abs te editis,  
& maneamus in cætu illo qui te habet ducentem,  
& tuo dulci Euangelio cum spe læti exitus inter  
medias calamitates fruitur. Tu etiam qui exci-  
tasti eximium præcursorem tuum, vt esset in-  
choator noui fœderis, & munus præstantius  
Propheta gereret, qui te iuuante curriculum  
suum confecit, & tuam veritatem sine *πρόσωπο-  
λυσίας* & adulatione propagauit, & suo sangui-  
ne te professus est: Rogamus te, mittito nobis  
etiam salutare doctores, qui sint constantes in  
confessione veræ doctrinæ, non sint arundines,  
non agitentur omni vento doctrinæ, non lu-  
dant opinionibus, nec inflectant doctrinam ad  
volun-



voluntatem & cupiditates potentum, nec tibi  
 oculis velatis colaphos impingant: sed sint fide-  
 les Oeconomi, sonantes tuam doctrinam sine  
 corruptelis, nec frangantur metu periculorum  
 quæ ministerium comitantur. Et tu qui mini-  
 sterij es Dominus, adesto tuæ Ecclesiæ, facito vt  
 nostro etiam tempore veritas tua procedat for-  
 titer, vt Ecclesia tua eluctetur inter fremitus dia-  
 bolorum & hominum, qui te oppugnant. Da  
 vt in extremis periculis, in ipsa morte etiam, su-  
 perata omni violentia hostium tuorum, tuum  
 regnum rapiamus. Tu etiam qui minimus es in  
 regno cælorum, qui ex inenarrabili bonitate &  
 humilitate abiicisti te infra omnes angelos &  
 homines, qui deriuasti in te iram Dei, aduersus  
 nostra peccata, & factus es victima, vt nobis  
 reddatur gloria & beatitudo æterna: largire no-  
 bis vt bonum certamen certemus, retinentes fi-  
 dem & bonam conscientiam, donec in regnum  
 tuum visibile traducamur, vbi te palam in glo-  
 ria electis ostendes, & credentes Augusto illi ag-  
 mini, in quo fulgent Baptista, Prophetæ & A-  
 postoli tui, qui regnum cælorum violenter ra-  
 puerunt & custodierunt, aggregabis, Amen.

DIE THOMAE PERTINA-  
 CIS QUIDEM, SED TAMEN  
 docilis, Ioh. 20.

TRISTES tenebræ, horribiles dubita-  
 tionum & diffidentia fluctus etiam sunt in re-  
 natis



natis, sicut Apostolus Thomas, qui coram hauserat vocem Filij Dei, & fuerat spectator miraculorum, quæ dicebant testimonium de ipso, quod vera doceret & prædiceret: ipse etiam senserat intus in suo corde præsentiam illius Domini, cuius erat auditor: tamen præcipuum fidei articulum de resurrectione Christi non credit, & illis qui Dominum viventem conspexerant non assentitur. Sed tu Fili Dei qui arundinem quassatam non frangis, & linum fumigans non suffocas, nos etiam doce & confirma, sicut erudijsti & confirmasti infirmum discipulum tuum: Adesto etiam nostræ imbecillitati tuæ viuifica præsentia: appareto nobis sub noctem, ne caligo humana tuam lucem in nobis extinguat: transfer tua dona in domos clausas, in hæc misera nostra tuguria, quibus imminent gravissima pericula ab hostibus tuis: Affare nos tua beata voce, foris annuncians per Verbum, & intus per Spiritum tuum in nobis efficiens pacem tuam, vt perfusi sensu tuæ præsentia acquiescamus, per te in spiritu tuo copulati ad æternum Patrem tuum. Suscipe etiam nos fragiles & hæsitantes in hac vita. Ostendito nobis tua vulnera, vt tui meriti, in luctu conscientia nostræ cum ira æterni Patris tui, recordemur, & nos pavidos & anxios in latus tuum & vulnera tua inuoluito, vt illud inuolucrum nos regat ab ira DEI, & vt sugamus ex tuo corpore vndam lauandam omnem immundiciem nostram, & viuificum alimentum tui sanguinis, quod



quod nos aliat ad nouam & æternam vitam, vt nos etiam non simus increduli sed credentes: & toto pectore imitemur illustrem confessionem tui Apostoli, vt contra omnes blasphemos diabolos & hostes tuos, qui tibi gloriam diuinitatis inuident, profiteamur te esse Dominum & Deum nostrum, illum Deum, qui ab initio affuit suæ Ecclesiæ, compellauit eam foris in ministerio, & intus se credentibus ostendit, qui Ecclesiam suam texit contra omnem rabiem inimicorum, & fœdere facto cum genere humano credentes suæ massæ assumptæ vnit. Facito tu Fili Dei Iehoua, vt huic tuæ promissioni tanquam voci de cœlo sonanti constanter credamus, nitamur spe tui auxiliij contra spem, & salutem nostram à tuo verbo patefacto ordiamur, vt credentes in te I E S V M, qui es Christus summus Pontifex & rex noster, in te vitam æternam habeamus, A M E N.

**D O M I N I C A M A G N A E L E G A T I O N I S M I S S A E A C O N S I S T O R I O A D B A P T I S T A M, I o h. I.**

**V T S A N C T V S** Baptista compellatus à fenatu Sacerdotum accusatione de discessione ab ordinaria potestate & templo, opposuit mandatum Dei, & vocationem quæ cogebat ipsum aduersari idolatricis, & repurgare doctrinam de beneficijs Christi: Ita tu Fili Dei, Domine Iesu Christe reg. to nos miseros & imbecilles, ne fra-  
 & terribilibus criminationibus, quibus accusa-  
 F mur



mur à potentibus tanquam autores dissidio-  
 rum, & hostes veteris Ecclesie communis ma-  
 tris à tua veritate deficiamus: sed in vera animi  
 constantia obœdiamus mandato vniuersali,  
 quod cœlestis Pater tuus edidit, qui mandauit  
 vt te audiamus & fugiamus idola, & omnes qui  
 aliud Euangelium docent, pro anathemate ha-  
 beamus. Maneamus verò in illa Ecclesia, quæ  
 verè est Catholica, collecta ex membris multa-  
 rum gentium, sed coniunctis tibi in eadem con-  
 fessione. Et tu qui in hac vita tibi per vocem  
 Euangelij colligis cœtum electum: mittito fi-  
 deles ministros, qui verbum vitæ rectè fecent,  
 qui te monstrant baptizantem credentes igne  
 & spiritu: terrentem corda diuino iudicio, &  
 rursus eodem Spiritu viuifico sustentantem &  
 erigentem. Gerant ministri suos calceos, sint  
 cursores & legati tui, sint voces clamantes, scili-  
 cet tui ipsius per illos, non afferant suam sapien-  
 tiam, suam potentiam, cultus excogitados hu-  
 mano arbitrio: sed sonent tuam veritatem. Do-  
 ceant de te, qui es hospes implens beatam ani-  
 mam, in quam immigras simili luce & iusticia,  
 qualis in te conspicitur: Para tibi igitur vitam  
 & semitas, vt tam sancta profectio & habitatio  
 nobis contingat. In nostris viuens mentibus  
 esto λόγος, AMEN.

P R E C A T I O A P O S T O -  
 L O R V M F E S T I S.

Allmechz



Allmechtiger / ewiger / wahrer / gerechter  
 Gott / himlischer Vater / der du wegen des  
 seligmachenden gehorsams Jesu Christi deines  
 lieben Sons / durch deine lehre / in mit  
 wirkender krafft deines heiligen Geistes /  
 dir eine ewige Kirche vnd Volck auff Erden  
 zu deinem erkentnis vnd preiß krefftig  
 beruffest / Versamle vns O Vater in die zahl  
 deiner Außerwehlten / vnd erhalte vns vnd  
 vnsern Kindern / für vnd für die lehr deiner  
 Wahrheit / vnd hilff vns mechtig / dich hie  
 vnd dort ewig zu loben vnd dir zu danken /  
 Der du sampt deinem Sohne vnd dem  
 heiligen Geist / bist vnser lieber Vater vnd  
 Herr in ewigkeit / Amen.

DIE ANNUNCIATIONIS MARI  
 AE ET INCARNATIONIS  
 Filij Dei, Messiae nostri.

Ewiger / allmechtiger / gerechter / trosts  
 reicher Gott / du ewiger Vater vnser lie  
 ben Herrn vnd Heylands Jesu Christi / der  
 du aus vnendlicher Barmhertzigkeit de  
 nen Sohn vom geheiligten fleisch vnd blut  
 der hochgelobten Jungfraw Maria hast  
 lassen vnser menschlische Natur ohne Sün  
 de warhafftig an sich nemen vnd ewig bes  
 halten / Verleihe vns armen Sündern gnes  
 diglich / daß wir deines Sohns vnser Heyl  
 lands / seligmachenden Leibes vnd Bluts  
 teil



reilhaftig werden / auch durch die Krafft  
des heiligen Geistes ewiglich verbleiben /  
Vmb deines herrlichen Namens ehre wil-  
len / Amen.

DIE NATALIS SALVA-  
TORIS, INCHOANTE ANNUM  
1566. Luc. 2.

ILLUXIT fausta dies, qua Ecclesia in cœ-  
lo & in terra prædicat beneficia Filij Dei nati  
hoc die, ex aluo castæ virginis Mariæ, cui pro-  
deuntî in hunc mundum sancti angeli augu-  
stum cecinerunt Hymnum. Neque dubium  
est hodie Ecclesiam cœlestem viuentem in læto  
conspectu Dei, perfusam æterna sapientia, luce  
& iusticia, supplicem agere gratias Filio DEI li-  
beratori & redemptori, pro inenarrabili consilio  
ostenso in ordine redemptionis generi humano,  
& pro immenso isto beneficio, quod cum hac  
nostra misera & immunda natura æternum ini-  
uit fœdus, assumpta nostra massa fragili & misera  
pellicula humana, obnoxia ærumnis & morti,  
ut nos insertos suæ naturæ assumptæ sustentaret  
& gestaret ad vitam æternam. Suspiciamus igitur  
ad te optime Sileh, qui es fœtus virginis, Se-  
gregamus nos à turpi & damnata caterua dia-  
bolorum & hominum, qui blasphemus ululatus  
contra tuam gloriam & veritatem edunt. Ora-  
mus autem te toto pectore, facito nos socios  
castorum angelorum: qui tibi gloriam canunt,  
&



& membra illius Ecclesiæ, quæ vera pace tibi vnita, tua beneficia agnoscit & grata mente prædicat. Tibi gratias agimus, quod genus humanum non abiecisti in æternam damnationem: sed factus es deprecator pro nobis, & nostram naturam facto mirabili fœdere tibi copulasti. Ita congruebat, vt ex ordine iusticię pœna innocentis hominis valeret pro alijs, & vt esset æquiua- lens precium, congruebat eundem Mediatorem esse Deum, qui iram Dei intolerabilem creaturis sustinere posset, qui posset vincere mortem, reddere iusticiam & vitam: esse perpetuus sacerdos, ingredi in sanctum sanctorum: Intelligere arcanum consilium Patris, inspicere motus cordium, exaudire omnium hominum gemitus, esse rex sui gregis, eum defendere contra potentiam diabolorum: Et Ecclesiam resuscitatam ex morte collocare in æternum regnum Patris. Ista cum natura finita præstare non posset, toto corde gratias agimus tibi, quod tu, qui es λόγος, imago substantialis & interpretis tui Patris, factus es noster Mediator. Tu in nobis etiam tantum beneficium inchoato. Sumus imbecilles. Sumus inquinati & sordidi: sed sicut tu editus in hanc lucem in nocte brumali vestitus miseris fascijs, & amictus fascia miseræ naturæ, imbecillis infans, in stabulo inter præsepia, cum sis sapientia æterni Patris, vagijlli: Ita vagia tua sapientia in hac vita in nobis miseris, in tam tristis caligine nostra, inter tenebras deliræ ætatis, inter ruinas labentium imperiorum. Accende





tu in nobis initia illius sapientiae, quae erit perfecta in altera vita: adiungito nos choro angelorum. Da ut toto pectore & laeta voce tribuamus gloriam tibi vero Deo, qui es sapiens, iustus, omnipotens, castus, beneficus, misericors, secundum normam descriptam in Decalogo, qui misisti Filium tuum, ut gloriam tuam, qua genus humanum carebat, redderet, & restitueret nos in integritatem amissam per peccatum. Tu Fili Dei ista in nobis obsigna, effuso in nos de tuo Spiritu, qui in nobis inchoet veram *Adoxiam*, ut per eundem Spiritum, qui in tua natura assumpta fulget, tibi uniamur, a te sustentemur, viuificemur & gestemur ad aeternam vitam, ut constituatur illa vera pax inter Deum & nos, ut diligamur in dilecto: & aeternus Pater diligat nos illa dilectione, qua te imaginem suam substantialem diligit. Non turbet hoc mirandum & salutare foedus diabolus, neque nos pendentes ex tuo collo, ruentes in tuos amplexus, captantes tuum osculum, sinas rapi ex tuis manibus. Serua nos in tuo sinu, sicut fidus pastor fouet & gestat teneros agnos, & cum prima vox de tua natiuitate edita sit ad pastores, da ut ministri, pastores & doctores sint fideles testes tuorum beneficiorum, sint praecentores angelici hymni, illustrantes tuam gloriam, & explicatores pacis, quam Deus per te nobiscum pepigit, ducant oves ad tua praesepia, ad tuam Ecclesiam. Monstra tuas fascias, tuum verbum, quod in hac vita in nobis vagit, ut nos etiam experiamur



mur sensum dulcissimæ promissionis, quam æternus Pater de te edidit: Beati omnes, qui confidunt in eo. Quia etiam ex veteri consuetudine ab hoc die, qui tibi fuit natalis, initium noui anni ordimur: Inuocamus te Fili Dei, facito vt hic veniens annus sit faustus, felix, fœcundus, tranquillus & salutaris Ecclesiæ, Reipub. & miseris nostris œconomis. Colligito inter nos tibi deinceps etiam Ecclesiam. Serua lucem Euangelij, nec finas eam extingui potentia hostium tuorum. Serua etiam imperia, quæ præbent hospitia Ecclesiæ tuæ, arce à nobis rabiem Turcicam, quæ minatur excidium Ecclesijs & politijs nostris: fœcundato terram: Custodi nos à venenatis contagijs, & fac nos vnâ cum nostris vasa misericordiæ & organa salutaria Ecclesiæ & Reipub. A M E N.

S V B I E C T I O.

Natura humana erat orba, quia post lapsum & peccatum fuit proiecta à Deo Patre. Filius Dei restatus est se affici nostra miseria, fecit nobiscum fœdus, & nos suo Patri conciliauit.

DIE STEPHANI, QUI PRIMVS  
PRO CHRISTO RESVSCITATO  
& exaltato sanguinem fudit, Mat. 23.

DOMINE IESV CHRISTE, qui trillipectore ingratitude populū Iudaicū aspēnā-  
tis tuā beneficia, & mactantis pios tuos docto-



res deplorasti : Oramus te flecte mentes nostras  
ad veram gratitudinem, vt magnitudinem tui  
amoris erga miserum genus humanum agno-  
scamus, & tua beneficia læti amplectamur. Tu  
es fidissima gallina matrix : Tu edita voce pri-  
mæ promissionis ex illo ouo & salutari semine  
Ecclesiam tibi subinde genuisti, Tu credentes  
& adhærentes tuæ promissioni tuis pennis te-  
gis, tua intercessione, aduersus iram Dei, quæ  
est ignis consumens omnes, & tuo salutari ca-  
lore & flatu eos foues, effuso in eos Spiritu tuo,  
qui est substantialis flamma, emanans ex tuo &  
æterni tui Patris pectore, qui incubando frigus  
nostræ naturæ emendat, & tibi insertos ad no-  
uam vitam viuificat, tu ingenti cum zelo præ-  
liaris pro tuis miseris pullis, pro tuo imbecilli  
grege aduersus vultures & Gypæeros, diabolos,  
tyrannos & omnes hostes tuos. Tu igitur ser-  
ua nos inter tuos pullos, qui tuam vocem vocan-  
tem cum admirabili φιλοσοφία agnoscant, qui  
sub tuas alas sese abdant, & ex tuo pectore hau-  
riant consolationem in veris doloribus cordis,  
& defensionem contra omnes hostes tuos. Ne-  
que verò o dulcis hospes animarum domos no-  
stras relinquant desertas, non desinas tua præsen-  
tia & inhabitatione nos implere iusticia & vita  
tua, & præsta nobis verum animi robur, vt con-  
fessionem tuæ veritatis omnibus rebus huma-  
nis anteferamus, sicut sanctus senex, pater Ba-  
ptistæ in loco sacro inter media sacrificia suo  
sanguine tanquam preciosa victima testatus est,  
te esse



te esse Messiam missum ab æterno Patre tuo. Libera nos de sanguinibus Deus seruator noster, ne inuoluamur tragicis pœnis, quibus opprimuntur hostes tui, qui se contaminarunt innocenti sanguine tuorum testium. Vt etiam heroicus tuus martyr, & fidus Ecclesiæ tuæ Diaconus Stephanus, cum in eum conijcerentur crimina, quæ in hac vita sunt atrocissima, quasi cum templo Dei & politia bellum gereret, tamen veram constantiam præstitit, magna oratione summam veræ doctrinæ exposuit, & inter supplicia cælos apertos vidit, & te visibiliter, cui etiam moriens animam suam commendauit, conspexit: Ita iuua te nos, ne iniqua iudicia mundi formidemus, & tu secundum promissionem tuam sis nobiscum in tribulatione: aperi nobis cælos, ostende nobis tuam viuificam faciem tuam salutaris præsentia, Consolare nostra mœsta corda, & ostende nobis, quod æternum tuum Patrem placasti, animas etiam nostras emigrantes ex corpore, suscipe in manum tuam omnipotentem. Da vt molliter obdormiamus & quiescamus, donec resuscitato genere humano, Ecclesiam ad consuetudinem tui visibilem, sursum vbi tu stas, ad dexteram tui Patris, vigilans pro tuo grege, transferas, Amen.

**DIE DISCIPVLI, QVEM  
DILIGEBAT DOMINVS,  
Iohan. 21.**

F. 5

Ioh 20-



*Iohannes tempore resurrectionis Christi  
natus fuit annos 22. Vixit annos 89.*

T O T O S annos 67. dilectus tuus discipulus, gnate Dei, Iohannes, inter graues ærumnas & graua certamina tuam doctrinam in Asia minori, vbi plurimum fuit idolatricorum cultuum & plurimum curiositatis & leuitatis Græcæ, propagauit. Recubuit is in tuo sinu non solum corporaliter, cum abs te vt cognatus & adolescens tenerius amaretur: sed etiam hausit ex tuo sinu spiritum sapientiæ, implentem mentem & cor ipsius luce diuina, robore fidei & diuinis virtutibus. Fuit spectator tristissimi excidij suæ patriæ, & vidit tragicum interitum suæ gentis, vidit rudera illius politiæ, quæ à Deo fuerat constituta, & illud templum in cineres & flammam dispergi, quod vnicum fuerat veri Dei templum in genere humano. Ipse luctatus est cum sceleratis hæreticis Ebione & Cerintho, qui erant tubæ diabolorum. Et sicut primus Cain impulsus à diabolo filium DEI contumelia affecit, & ipsius promissionem derisit, & sicut deinde magna colluies ethnica, excogitata portentosa multitudine idolorum, CHRISTVM & eius beneficia reiecit: Ita immani audacia os in cælum ponentes Filio DEI diuinitatem suam blasphemè detrahebant. Sed tibi gratias agimus Fili DEI, qui es εἰκὼν ὑφ' ἡμῶν & λόγος ἁἰτέρου Patris tui, quod voce & autoritate tui Apostoli & testimonio tui iudicij, blasphemos horri-



horribili pœna oppressisti, veritatem huius articuli nobis conseruasti. Serua etiam deinceps hanc lucem, & non sinas nos inuolui tenebris idolatricis, pugnantis cum tua gloria. Constituit diabolus aduersus hanc veritatem & gloriam tuam, horribilem potentiam regni Mahometici, quod tibi audacissimè conuicium facit, & Ecclesiæ tuæ confitenti veram sententiam cruciatus & mortem minatur. Sed tu gnate Dei, ne sinas noticiam tui veram, potentia diabolorum & Turcorum deleri: sed serua tibi semen sanctum inter nos, quod contra omnes portas inferorum, te Filium DEI viuentem profiteatur, cui vniuersa vox diuina, magno consensu tribuit omnipotentiam, omniscientiam & omnes virtutes diuinas, & iubet ad te dirigi inuocationem, quæ debetur soli DEO. Serua etiam nobis intellectum discriminis inter iusticiam humanam & tuam. Facito vt tibi ducenti nos ad exercitia veræ pœnitentiæ, ad crucem, ad calamitates, & mortem, vbi nostra voluntas verè est vincta, & sese nihil regit, libenter obcediamus. Facito etiam vt simus ambitiosi in hoc, vt propria faciamus: non moueamus certamina non necessaria ex superbia, ambitione, vel curiositate, sicut Samosatenus, Arrius, & multi alij: sed te sequamur & in vocatione nostra docendo & discendo, veras sententias retineamus: vt nos etiam inueniamur in illo cœtu, qui à te diligitur & seruabitur donec tu venias.

A M E N.

DIE



DIE BEATORVM INFANTIVM, QUI STOLAS SVAS LAVERUNT in sanguine Agni, Matth. 2.

VERE tu Fili DEI tempore humiliationis tuæ ab exordio tuæ natiuitatis vsque gustasti torrentem humanarum miseriarum, editus fuisti inops, nudus, spretus, iacuisti in fœno & vagijsti inter bruta animalia. Exaruerat stirps Davidica, Te optima mater tanquam virgultum in terra sitiente inter magnas ærumnas educabat, & in ipsa tua ætate tenera, tyrannis diaboli & crudelissimi Herodis extrusit te in longinquum exilium, vbi senex tuus nutricius & dulcis tua mater parentes mandato Angeli consternati metu imminentis periculi nocte te in vlnas suas sustulerunt, & longum iter ad centum fermè milliaria gementes ingressi sunt, gestarunt te in magna sollicitudine per aspera & inculta loca Arabiæ, per illius gentis colluuiem, quæ semper propter latrocinia & crudelitatem fuit infamis: Et tandem in prouinciam Romani Cæsaris, quem Deus voluit esse tuum tutorem, collocarunt. Texerunt te verò cum matre tua excubiæ castorum Angelorum, qui fuerunt duces & comites tui exilij & procul à tuis cunis immanes latrones abegerunt. Ita quidem nos Fili DEI de nostra miseria & de tuo beneficio commonefaciens imbuiisti. Exulabat genus humanum eiectum ex paradiso, ex statu beatitudinis & gloriæ in istius vitæ ærumnas,  
Exul



Exul est tua Ecclesia in hoc mundo, premitur  
 à magnis monarchis, & præstantia membra tui  
 cœtus priuatim sapissime exulant. Sed tu mi-  
 fertus nostræ calamitatis sponte factus es exul  
 propter nos, factus es deprecator pro genere  
 humano, Exinanijsti te, assumpsisti hanc miseram  
 massam & pelliculam nostræ naturæ, fuisti exul  
 in hoc mundo, non possedisti locum, in quem  
 posses reclinare tuum caput: non rapuisti po-  
 tentiam & vsum diuinitatis extra vocationem,  
 mirando modo λόγος quieuit carne tua patien-  
 te & moriente, vt nos in veram patriam, vnde  
 est nostra origo, & vbi est nostrum πολιτεύμα,  
 reduceres. Toto pectore igitur inuocamus  
 te Fili D e i, instilla nobis verum amorem illius  
 cœlestis patriæ, accendatur in nobis verum de-  
 siderium tuæ consuetudinis, Consolare nos in  
 hoc exilio, addas etiam nobis custodes sanctos  
 tuos angelos, qui à nobis immanitatem diaboli  
 & hostium tuorum arceant, & nostras animas  
 decedentes ex hac miseriarum valle colloca in  
 tuam arcem & veram patriam. Vt etiam Eccle-  
 siam tuam inter rabiem furentis Herodis texisti  
 tamen, cum tu vnâ cum parentibus tuis fuge-  
 res in Aegyptum, & Baptistam infantem pa-  
 rentes in desertum vltra Iordanem abderent:  
 Ita deinceps etiam nos defende aduersus furo-  
 res diabolorum & hominum. Rapuerunt qui-  
 dem truces & impij ministri regiæ crudelitatis  
 infantes ab vberibus & complexu matrum ad  
 tristem necem, & sæpe species tuæ Ecclesiæ ta-  
 lis



lis est, vt de ea dicatur, Rachel noluit consolari quia filij ipsius non sunt : Sed tu tamen seruas aliquas reliquias & hostes tuos abijcis in æternum exitium. Vt igitur infantes isti teneras suas stolas & pelliculas lauerunt in sanguine agni, & de tuo aduentu in carnem morte sua perhibuerunt testimonium, quos tu in meliorem vitam auexisti, vbi omnem lacrimam ab oculis eorum absterges, & in glorificatione Ecclesiæ hunc dulcem coetum ostendes omnibus electis tuis in gloria, & increpabis diabolum, & satellitem ipsius Herodem propter scelera, vsque in æternos cruciatus merges: Ita serua nos in confessione tuæ veritatis: mitiga Ecclesiæ tuæ ærumnas, ne vniuersa intereat, & nos liberatos ex hoc tristi exilio adiungito ciuibus regni tui, qui agnum sequuntur quocumque ambulat, & læti tibi gloriam canunt, Amen.

DOMINICA GLADII QUI  
SAUCIAT ANIMAM MARIÆ,  
Lucæ 2.

ÆTERNE Pater dilecti FILII tui, iuua-  
ro nos dato Spiritu sancto tuo, vt imitati exem-  
plum sancti Simeonis Filium tuum in vlnas læti  
accipiamus, eum osculemur, & ab eo æternam  
benedictionem consequamur. Facito vt segre-  
gemur ex damnata multitudine hominum, qui-  
bus tuus Filius est ruina, qui humilem formam  
Christi & deformem speciem Ecclesiæ fastidi-  
unt,



une, & professioni veritatis, opes, potentiam  
 aut voluptates anteferunt, qui bellum gerunt  
 cum filio tuo, & ab eo tandem in æternum exi-  
 tium præcipitantur, sit verè tuus Filius nobis  
 resurrectio. Porrigat nobis lapsis suam manum,  
 erigat nos sua misericordi dextra, confirmet nos  
 suo spiritu, vt firmiter stemus erecti in vera fide  
 & inuocatione. Et fac nos etiam, vt beatus Po-  
 lycarpus precatus est, participes resurrectionis  
 sanctorum tuorum. Quia etiam ex mirando  
 consilio tuo dilectam animam tuam dedisti in  
 medium inimicorum tuorum. Et quia dulcissi-  
 mæ matris Ecclesiæ pectus, duplex gladius, Ec-  
 clesiasticus & politicus sauciat: Tu optime Sa-  
 maritane Fili D E I, sana nostra vulnera, mitiga  
 nobis ærumnas, sustenta nos tua consolatione  
 inter medias ærumnas, sicut sanctissima tua ma-  
 ter stans sub cruce spectatrix miserabilis necis  
 tuæ, etsi experiebatur dolores cordis inenarra-  
 biles, tamen te confirmante erecta est & verita-  
 tem articuli de tua resurrectione constanter re-  
 tinuit. Inua vt curriculum nostrum in vera pietate  
 conficiamus, non discedamus à tuo templo, à  
 confessione veræ doctrinæ: sed perseueremus  
 in fide & vera inuocatione, sicut sancta tua vi-  
 dua Anna. Et nobis etiam ostende tuam faci-  
 em, tuam salutarem præsentiam, & verè læte-  
 mur in te, Fac vt tua sapientia, quæ in hac vita  
 in nobis est imperfecta, subinde crescat, vt ex-  
 tinguantur dubitationes in nostra mente, exi-  
 matur nobis caligo, emendentur peruersi mo-  
 tus



tus cordis, vt subinde augeantur nobis dona Spiritus tui, donec in clara luce te & æternum Patrem tuum contemplantur, Amen.

**DIE QVO PRAEDICATUR  
BENEFICIUM CHRISTI IESU  
circumcisi & facti sub legem, Lu. 2.**

**GRATIAS** tibi agimus toto pectore, Domine Iesu Christe Fili DEI viui, quod post decretum de redemptione generis humani à principio affuisti Ecclesiae tuæ, eamque foris in ministerio affatus es, & intus in cordibus lucem tuam & iusticiam accendisti, & tuæ promissioni addidisti *σφευγιδας*, externas ceremonias, quibus fieret tuorum beneficiorum obsignatio & ad singulos credentes applicatio. Ita sacrificia & mactationes testificabantur de te, qui futurus eras victima, Et flammæ quæ ex coelo hostias inflammabant, testabantur de tua præsentia, quod intuentes vera fide tuum beneficium viuificare velis sacro igne tui Spiritus, qui veram agnitionem & sanctos motus in pijs accendit. Intelligebant primi parentes donari ipsis vitam ex tua misericordia, cum mulier diceretur esse paritura: Et quia mediator nominabatur, Semen mulieris, & simul promitteretur eum futurum esse victorem Diaboli, sciebant eum debere esse Deum & hominem. Repetita fuit eadem promissio magnanimo Abrahamo. Et quia fiebat restrictio ad certam gentem, addidisti



didisti nouum ritum circumcisionis, tunc, quan-  
 do visibili specie hospes ipsius fuisti in cœna,  
 cum ipse tuo conspectu effusè lætatus est, quan-  
 do anus effœta est facta fœcunda, & quando  
 paulò post Sodomiticam regionem terribili ex-  
 emplo iræ tuæ ipse inflammasti: Non solum  
 discernebat ille ritus posteritatem Abrahæ à  
 cæteris gentibus, sed etiam erat testimonium,  
 commonefaciens de venturo semine Christo,  
 qui assumpturus erat infirmam pelliculam, gesta-  
 turus nostram naturam, & redditurus æternam  
 benedictionem omnibus Iudæis & Ethnicis in  
 ipsum credituris. Gratias tibi igitur agimus,  
 quod hanc vocem de tua persona & officio in-  
 ter magnos furores hostium tuorum seruasti,  
 quod tandem in carne apparuisti, factus es sub  
 legem, factus es maledictum, vt nos à maledi-  
 ctione legis liberares, & redderes integritatem  
 amissam per peccatum. Ideo quidem circumcidi  
 voluisti, vt ostenderes te esse propaginem ortam  
 ex posteritate Abraham, & te subiectum esse le-  
 gi propter nos. Oramus igitur te toto pectore,  
 inferre nos etiã tuo cœtui: alloquere nos tua vo-  
 ce, illustra nos tua agnitione, confirma nos tuis  
 sacramentis tanquam certis pignorib. tuæ veræ  
 regenerationis & viuificationis: tollito maledi-  
 ctionem, iram Dei, damnationem, opera diabo-  
 li, & inchoa in nobis tuam benedictionem, dato  
 remissionem peccatorum, iusticiam, vitam. Re-  
 stitue in nobis tuam legem, & incipito illam  
 conformitatem, quæ erit perfecta in æterna vi-  
 ta. Sis

G

ta. Sis



ta. Sis noster Iesus, Saluator, merito & efficacia  
tui, vt experiamur tuum Patrem tuo merito esse  
placatum, & te habeamus manentem in nobis  
ad vitam æternam, A M E N.

D I E T H E O P H A N I O R V M  
T R I V M R E G V M, Matthæi 2.

T v æterne Pater Domini nostri Iesu Chri-  
sti, qui in Baptismo Christi stantis inter vndas  
Iordanis, te mirando modo patefecisti, quando  
de Filio tuo concionatus es, & Spiritus sanctus  
visibili specie columbæ sese ostendit: Tu rego  
nos dato Spiritu sancto tuo, vt tibi vera fide ob-  
temperemus: accende in mente nostra veram  
cogitationem de tuis beneficijs: Facito, vt acce-  
dentes ad te in nostra inuocatione, te vnum ve-  
rum Deum discernamus ab omnibus commen-  
titijs numinibus, & mente nostra nos transfera-  
mus in illam ripam fluminis, in cœtum illorum  
piorum spectatorum & auditorum, quibus hæc  
illustis patefactio ostensa est: appareat nobis  
etiam lux: affare nos per Filium tuum in Spiri-  
tu sancto, & flecte nos ad veram obœdientiam.  
Et sicut auditores pios deduxisti ad aspersionem  
Christi, q̄ assumpta humana natura factus est Me-  
diator noster: Tu autem æterne Pater ex nube  
locut⁹ es, & Spiritus sanctus in specie columbæ  
apparuit: ita facito vt in hac vita innitamus be-  
neficio tui Filij, qui nostram naturam sibi copu-  
lauit, vt nobiscum æternum fœdus faceret. Fac  
vt no-



vt nobis etiam aperiatur cœlum, vt tuam vo-  
 cem exaudiamus, vt super nos quiescat tuus  
 Spiritus, accende in nobis initia vitæ æternæ,  
 donec in cœlo in visibili consuetudine diuinita-  
 tem intuebimur, non in ænigmate, non in nu-  
 be, non in specie columbæ: sed de facie ad fa-  
 ciem, similes tuo Filio. Vt etiam de nato Chri-  
 sto illustre testimonium ediderunt Christiani  
 Philosophi ex Persia, reliquæ ex schola sancti  
 Danielis: Ita tu Fili Dei serua tibi perpetuò ali-  
 quem cœtum, qui tua beneficia prædicet: Da  
 vt nobis oriatur stella illa fausta lux fidei, quæ  
 te quærit in Bethlehem in præsepi, in verbo pa-  
 tefacto, in ministerio, ne aberremus à vera via,  
 nec quæramus commentitia diuerticula huma-  
 narum opinionum & cultuum. Non sinas tu-  
 am lucem deleri vel tenebris hypocritarum &  
 idolatrarum, vel furoribus tyrannorum, qui te-  
 cum immane bellum gerunt: Sed facito vt per-  
 fusi noua luce à te, Sole iusticiæ, lætemur toto  
 pectore, & te ducem qui gubernaturus est po-  
 pulum suum in veritate & iusticia, verè agnosca-  
 mus, vt tibi etiam offeramus sinceram fidem,  
 inuocationem, patientiam in cruce, tibi tribua-  
 mus honorem Regis, cultum debitum Deo, &  
 intueamur beneficium tuæ mortis & sepulturæ:  
 Foris etiam nostro loco conseruationem mini-  
 sterij iuuenimus omnib. officijs, vt decedentes ex  
 hac vita inter initia tuæ lucis transferamur in  
 tuum regnum, vbi in nobis lucebit diuinitas si-  
 ne tenebris in omni æternitate, A M E N.



DOMINICA CHRISTI  
 AMISSA MATRE IN DVODE-  
 cimo Paschate, Luc. 2.

UT tua mœstissima mater te Fili Dei in duo-  
 decimo Paschate ex incogitantia amisit, ita duo-  
 decimo seculo à tua natiuitate Ecclesia intelle-  
 ctum veri Paschatis amisit, & inuoluta est tunc  
 præcipuè tristi caligine & impio cumulo falso-  
 rum cultuum, qui tua beneficia & gloriam ob-  
 scurarunt, excogitatis opinionibus de inuoca-  
 tione hominum, veneratione statuarum, &  
 cultu Dei Maozim. Ut tamen dulcissimi paren-  
 tes cum dolore quærerent te, in templo te do-  
 centem adepti sunt, cum ingenti læticia: Ita ti-  
 bi toto pectore agimus gratias, quod nobis lu-  
 cem veræ doctrinæ reddidisti, & Ecclesiam tu-  
 am, quæ tibi est templum, repurgasti ab idola-  
 tricis cultibus. Serua nobis istam lucem neque  
 discedas à nobis. Refuta tua sapientia & poten-  
 tia diabolum, qui per hypocritas suos & falsos  
 doctores verbum tuum calumniatur. Et sicut tu  
 cum dulcissimis tuis parentibus, cum Iudæa  
 grata pace frueretur, ad publicos congressus Ec-  
 clesiæ in amœnissima illa terra, inter vestigia  
 Patrum & Prophetarum suauissimorum tuo-  
 rum collocutorum expatiatus es, nostra hæc  
 Germania interea ardente bello & horribilibus  
 lanienis: Ita nunc posteaquam orientales pla-  
 gæ à te propter contemptum tui, anathemate  
 percussæ sunt, & Ecclesia tua in hæc horrida lo-  
 ca ad



I  
 ea ad Arctum secessit: Serua nobis ministeri-  
 um: Serua aliquas politias, quæ præbeant ho-  
 spitia tuæ Ecclesiæ. Da vt sonet in nostris con-  
 gressibus vox veræ doctrinæ & inuocationis si-  
 ne corruptelis, vt reges & populi congregati  
 Domino seruiant. Confirmato nos tuo Spiritu,  
 vt simus vigiles, simus fideles custodes tui de-  
 positi, nõ patiamur te elabi ex nostris manibus:  
 sed vera fide agglutinati tibi tuo spiritu nos in  
 tuos humeros proijciamus. Confugiamus ad  
 tuum sinum, & abs te gestemur ad senectam vs-  
 que. Tu etiam Fili Dei, in quo lucet substantia-  
 lis radius diuinæ sapientiæ, qui assumisti nostrã  
 naturam vt similem lucem in nos propagares:  
 Loquere etiam sapientiam tui Patris in cordib.  
 nostris, augeto nobis fidem accedentem ad te  
 & ad æternum Patrem tuum. Da vt in nobis  
 crescat gratia tua & donum per gratiam, vt pro-  
 ficientes in virilem ætatem, tibi maneamus con-  
 iuncti in omni æternitate, A M E N.

S V B I E C T I O.

Duodecimo centenario maximè creuerunt  
 idolatrici abusus in Ecclesia. Excogitatae sunt  
 impudentissimæ inuocationes mortuorum:  
 peregrinationes ad statuas: cumulatae idolatri-  
 cæ missæ: Excogitata circumgestatio Dei Mao-  
 zim. Ea etiam ætate cepit regnum Otomano-  
 rum inter Turcos: paulò post aliqui ex doctis,  
 vt Gerson, & similes quæsiuerunt Christum



~~inter notas & cognatos~~ in libris doctorum, commentum sunt aliqua leuia remedia pro consolatione conscientiarum, & mitigatione illius horribilis carnificinae: Sed vera fundamenta doctrinae non potuerunt videre. Tertio die, tertio seculo post, inuentus est Christus in templo: Voce Lutheri & similium monstrata est vera sententia de Christo ex scriptis Prophetarum & Apostolorum, & repræhensi sunt impij cultus.

D O M I N I C A N V P T I A -  
R V M I N A R V N D I N E T O,  
Iohannis 2.

A E T E R N E, vere & omnipotens D E V S, qui in prima mundi creatione postquam produxisti naturam corpoream, quæ esset imago tuæ sapientiaë & bonitatis, & gestaret talem formam qualem tuus Filius assumpturus erat, deinde arcana deliberatione loquente Filio tuo, dixisti: Non est bonum hominem esse solum. Tu voluisti propagationem generis humani fieri ex paucis, & tamen duos coniunxisti, vt esset Ecclesia, quæ te rectè agnosceret, inuocaret, & veram noticiam tui posteritati traderet. Istud est consilium tuum, vt hæc imbecillis natura hominum in legitimo coniugio castè viuat, & tibi hoc modo perpetuo ex pijs familijs excerpatur Ecclesia. Tu, qui vis in nobis lucere intellectum castitatis, vt accedentes ad te in inuocatione te procul discernamus ab omnibus naturis



turis inæstis & pollutis, tuo spiritu casto & veraci purifica corda nostra, vt tibi in vita casta & munda seruiamus, non obsequamur hosti tuo diabolo, qui autor est inæstarum legum, quæ tibi contraria dicunt, & hominibus coniugia prohibent, vt aucta spurcitie tu contumelia afficiaris, & magna agmina hominum à te auulsa in æternum exitium trahantur: procul arce à nobis tam tetra scelera. Confirmato nos tua ope, ne inquinati malis libidinibus à te abducamur, ne turbetur inuocatio nostra, quæ sola nos miseros in hac ærumnosa vita erigere potest, ne accersamus nobis furores in anima & horribilem cœcitatem, quales multis inæstis acciderunt, neque inuoluamur tragicis & æternis pœnis, quæ obœdientes opprimunt secundum tristissimam comminationem: Omnis anima quæ fecerit abominationes has, peribit de populo suo. Tu etiam Fili DEI, qui amorem conjugalem ordinasti, vt esset mysterium rei arcanæ & admirandæ, in illa mentibus & pectoribus nostris intellectum illius cœlestis sapientiæ & verum desiderium coniunctionis cum te. Flagrat in te verus & ardens amor erga genus nostrum, cuius massam induisti, non secus ac dulce incendium est amoris in casto sponso erga suam dilectissimam sponsam. Tu carnem tuam verè diligis ac foues, gestas ac alis credentes insertos tuæ massæ vera fide, effusa in illos de tuo Spiritu, talia efficis, qualia fiunt in tua natura humana quæ λόγῳ vnita est, Ecce iacet Eccle-



fia tua ex antiquo ritu desponsationum supplex  
 ante aram: Tu placa nobis æternum Patrem  
 tuum, recipe nos in tuam societatem: ô diuine  
 sponse fac nos etiam participes fœderis, quod  
 cum nostra natura fecisti: dele sordes nostræ  
 miseræ carnis tuo merito, & dato Spiritu tuo  
 inchoa in nobis conformitatem diuinam, & fac  
 vt tibi adhærentes per eundem Spiritum vnum  
 tecum simus. Et quia tuo consilio in hac mise-  
 ra vita, nuptias has diuinas vis celebrari in a-  
 rundineto, inter magnas ærumnas, vbi vinum  
 sæpè deficit, vbi sæpè talis species est Ecclesiæ,  
 quasi nostræ hydriæ, nostra testacea corpora  
 pressa malis, aqua & lacrymis ad summum vs-  
 que implentur, vbi etiam in inuocatione mora  
 nos excruciat, quando non audis tuos ex con-  
 silio ipsorum, & durum est expectare tuam ho-  
 ram: Tu iuua & confirma nos, ne illæ arundi-  
 nes, in quibus nidos suos habet tua sponsa, fran-  
 gantur à diabolis & tyrannis: Da vt in cruce  
 & ærumnis constanter nitamur tuo consilio &  
 auxilio, & tantum faciamus quod tu iussisti.  
 Cura vt nobis etiam in tua illa læta hora, tui  
 œconomi, tui ministri, infundant suaue viam  
 tuæ vocis, monstrantes consolationem in maxi-  
 mis malis, & ducentes ad te, qui es veritas &  
 vita, donec tandem completis his nuptijs arun-  
 dineis, in mensa Patris tui vinum nouum sine  
 calamitatibus hauriamus, A M E N.

DIE



**DIE QVO CELEBRATUR  
RECORDATIO PAULI COMPEL-  
lati ex cœlo & conuersi ad Christum,  
Actor. 9.**

**T**IBI vera fide & toto pectore gratias agimus Domine Iesu Christe Fili DEI viui, quod perpetuam tibi Ecclesiam in genere humano per vocem ministerij colligis, & quod præcipue vas electionis Paulum Apostolum tuum misisti, quem voluisti doctrinam de beneficijs tuis propagare inter gentes, inter populos, quorum tunc erat vita inquinatissima sub turpissima illa multorum diabolorum cloaca Nerone Cæsare, eiusque voce conseruata in scriptis suis Ecclesiam oppressam tenebris errorum subinde quidem, & hac imprimis postrema ætate mundi de vero intellectu Euangelij voluisti erudire: Te inuocamus cum pio gemitu: Serua nobis tuam lucem accensam ex ministerio huius heroici tui doctoris, fac vt multi extrudantur operarij in tuam messem, qui sint fideles custodes doctrinæ Paulinæ, qui conuersi ad te, verè quærant quod tu ipsos iubes facere, qui tibi seruiant in propagatione tuæ veritatis, rectè secent verbum vitæ, illustrent discrimen legis & Euangelij, tribuant tibi tuum honorem, monstrant pauidis mentibus inter terrores conscientix consolationem tuam, sint ipsi typi fidelium in sermone & conuersatione, fiant omnia omnibus, vt multi tibi lucrifiant, glorientur in affli-



tionibus, non formident odia, ingratitude[m] mundi, & constantiam vsq; ad mortem in confessione veritatis præstent. Iuua etiam auditores Paulinæ concionis, vt veri efficiantur imitatores Pauli, militantes bonã militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam, vt exuentes veterem hominem, induant te Dominum Iesum Christum, renouati tuo Spiritu ad veram lucem & vitam, vt verè tui desiderio tangantur, verè cupiant dissolui & esse tecum, vt translati ex hac caligine in illud lumē, te coram aspiciant & arcanarum rerum causas discant, quas in hac vita non intelligimus. Et quia hic vis disci initia tuæ sapientiæ, & ex te fonte iubes nos haurire riuulos, instituto ministerio docendi, fac vt multi etiam hac in parte fidelitatem & exercitia tui Apostoli imitentur, sint diligentes in lectione, cognoscant in hac summam salutaris tuæ doctrinæ, & corpus suum frenent & castigent, vt in vera obœdientia tui perseuerent, donec in illam scholam abducantur, vbi omnes electi in clara luce te intuebuntur, A M E N.

D O M I N I C A I L L V S T R I S  
F I D E I I N L E P R O S O E T C E N -  
turiõne qui œdificauit synagogam,  
Matth. 8.

V T tibi Fili Dei placuit fides leprosi ad te accedentis, & cum conditione sanationem corporalẽ certus de tua misericordia petentis : ita accende



cende in nobis similem sapientiam, vt intuentes  
 vera fide te datorem aeternorum bonorum sine  
 hæſitatione agnoſcamus: in præſentibus verò  
 ærumnis ſciamus te ſeruaturum vniuerſum cor-  
 pus Eccleſiæ: ſingulis verò mitigaturum ærum-  
 nas tuo conſilio & bonitate, qui in hac vita viſ  
 Eccleſiam tuam ſubiectam eſſe cruci: Extende  
 igitur ad nos etiam tuam beneficam dexteram,  
 abſtergito lepram & ſordes noſtræ miſeræ na-  
 turæ: laua nos tuo cruore, qui nos mundat ab  
 omnibus peccatis. Sanato nos dato tuo Spiri-  
 tu, qui es inchoator nouæ vitæ & ſalutis. Fo-  
 ris etiam lenito nobis calamitates, nec patiaris  
 nos tentari ſupra vires. Serua nobis miniſteri-  
 um ſanctum & fidele, quod non ſit hypocriti-  
 cum, non gerat tecum bellum, non deriuat glo-  
 riam tuam in ſeſe: ſed tibi dicat teſtimonium  
 verum & ſincerum ſecundum voluntatem tu-  
 am à te editam in tuo verbo. Vt etiam ad agni-  
 tionem tui vocaſti Romanum magiſtratum, in  
 quo inſigne robur fidei fulſit, qui paſtorem &  
 Eccleſiam ſuæ vrbiſ piè dilexit, & ſcholam ad  
 propagationem tuæ doctrinæ ædificauit, & præ-  
 cipuè egregiam tecum coluit amicitiam: Sic  
 oramus te ſupplices, largire nobis etiam pios  
 magiſtratus, qui te ament, qui tuum auxilium  
 expectent vera fide, qui benefaciant tuæ Eccle-  
 ſiæ, iuuent & ornent miniſterium, plantent &  
 conſtituant ſcholas, ſedes doctrinæ & Eccleſiæ  
 ſeminaria, vt multi ſubinde ad te conuertantur,  
 qui te in vera fide agnoſcant & inuocent, & in  
 reſuſci-



resuscitatione generis humani adhibeantur tuæ mensæ, in qua sedent veteres tui conuiuæ & dulcissimi collocutores tui, Abraham, Isaac, Iacob & multi alij electi tui. Ne verò proijce nos à facie tua vnà cum ingratis tuis Iudæis ad loca tenebrarum, vbi homines damnati oppressi horribili consternatione & cruciatibus animæ, cum fremitu & fuga tristissima à tuo & omnis Ecclesiæ cœlestis conspectu in omni æternitate abiecti sunt: Verùm auge in nobis fidem, quæ nitatur tua misericordia & auxilio, vt te agnoscamus esse victorem mortis & diaboli, instauratorem nouæ vitæ, & dominum vniuersæ creaturæ tuæ, non alligatum ad causas secundas, locorum, temporum vel occasionum: & vnà cum pio & constanti Centurione tuam opem in sanatione animæ & corporum nostrorum experiamur, A M E N.

**DIE QVO CELEBRATUR MEMORIA CHRISTI INFANTIS, allati à matre in templum & gestati in vlnis pij senis, cui læticia cantum expressit, Luc. 2.**

**Æ T E R N E** Pater vnici Filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui in politia Israël constituta ex tua sapientia & ornata dulcissimis legibus, vtilibus ad vsus Physicos & politicos, & significantibus res arcanas & diuinas: etiam leges de immundicie & custodia puerperarum, & alteram de primogenitis sanxisti, vt nos non  
modo



modo ordinis in vita, & gratitudinis ergo ministerium tuum commonefaceres: sed etiam doceres hanc nostram naturam, ream, immundam, quæ est sicut pannus menstruatæ, ablui sanguine FILII tui, qui est tuus primogenitus, imago tua substantialis, & λόγος sonans tuam voluntatem, de quo clara voce ex cælo locutus es, & ipsum audire præcepisti. Rege nos per Filium tuum primogenitum dato tuo Spiritu, ut seriò nostram immundiciem deploremus, & à te sanationem petamus, mundemur sanguine Filij tui, & renouemur ab ipso ad veram integritatem tibi placentem, ut propter hunc primogenitum abs te adoptemur in filios & propter eum diligamur. Ut etiam sanctus Senex cum publicè vera vox de tuis beneficijs pendè tota euauerit oppressa tenebris & furoribus impiarum Sectarum, & horribili tyrannide gubernatorum, tamen à Spiritu sancto in vera sententia fuit confirmatus, & singularem promissionem de conspectu Messie acceperat: Itz tuo eodem Spiritu, qui credentes in omnem veritatem ducit, accende in nobis fidem, quæ eluctetur ex caligine idolatrica, grassante in magna parte generis humani, & da ut apprehendamus tuum FILIUM, & in ipsius complexu lætam & beatam discessionem adipiscamur. Iuua ut toto pectore sicut pius Simeon & sanctus tuus athleta Iacob hunc Seruatorem inter pauores conscientie & cruciatus mortis vera fide firmiter teneamus. Fac ut ipse sit nostrum lumen  
illu-



illustrans splendore suæ gloriæ tenebras nostras  
 imbecillis mentis, deleat in nobis dubitationes,  
 emendet morbos nostræ animæ, & accendat il-  
 lud beneficium & salutare lumen veræ agnitio-  
 nis & inuocationis, vt socij effecti in spirituali  
 communionem tui populi Israël, cui tuus Filius  
 est gloria, dans testimonium, quod in hoc po-  
 pulo editæ & conseruatae sint promissiones &  
 patefactiones de essentia & voluntate veri Dei,  
 etiam consequamur tuam gloriam, qua nostra  
 natura eget, ornati à tuo FILIO diuina benedi-  
 ctione remissionis peccatorum, donationis iu-  
 sticiæ & vitæ æternæ, A M E N.

DOMINICA NAVICULAE  
 SERVATAE INTER SAEVOS  
 fluctus, Matth. 8.

FILII DEI, Domine Iesu Christe, tibi toto  
 pectore gratias agimus, quod in genere humano  
 semper seruas aliquam arcam & nauim, in qua tu  
 es gubernator omniū remigum & nautarum. Tu  
 stetisti apud ærumnosum Noham in arca natan-  
 tem, cum sua Ecclesia domestica, tempore dilu-  
 uij, quando genus humanum tristi exemplo  
 propter scelera in vndis suffocatum perijt. Fle-  
 cte animos nostros ad veram sapientiam, vt tu-  
 am arcam & nauim quæramus, vt sub tua gu-  
 bernatione pœnas, quæ mundum propter con-  
 temptum tuorum beneficiorum opprimunt, ef-  
 fugiamus: Et sicut moestissimi discipuli tui vi-  
 si in



Si in lacera & fragili naui, inter terribiles tem-  
 pestates turbinum & procellas obruentes nauic-  
 culam te dormiente alta voce te inclamarunt:  
 D O M I N E perimus: Ita tu optime & fidissime  
 custos Israël non dormias altum, miserere Ec-  
 clesie tuæ quæ quassatur horribili tempestate  
 calamitatum excitata à diabolis & satellitibus  
 ipsorum: audias vocem miserorum remigum  
 qui tibi supplices palmas porrigunt, Increpa  
 montes & mare, destrue potentiam diaboli &  
 mundi, serena cœlos, mitiga nobis & toti cor-  
 pori Ecclesie foris æumnas, reprime hostes,  
 ne tuos cœtus deuorent, & suffocent intus in  
 cordibus nostris vocem tuam. Erige nos tua  
 præsentia, auge nobis imbecillam fidem nostrã,  
 medere nostræ trepidationi, Confirma nos ne  
 frangamur metu procellarum & fluctuum. Sed  
 sicut Noha inter aquas diluuij, aut populus in-  
 ter vndas rubri maris, nitamur tuo auxilio, qui  
 inter medias æumnas Ecclesie tuæ præsens es,  
 & quamuis dormire videris, tamen propè es  
 tuis afflictis, quorum corda ad te respiciunt:  
 hanc serenitatem accende in nostra anima, &  
 seda tentationes & tela diabolorum, qui nos à  
 conspectu tuæ præsentie abducunt. Libera nos  
 etiam tuo consilio ex potentia hostiam tuo-  
 rum, & tota Ecclesia te vnum, in cuius manu  
 non solum rerum natura sita est, verum etiam  
 qui dator es æternorum bonorum, grata voce  
 prædicet, & multi ad societatem tui cœtus in-  
 uitati exemplis tuæ præsentie flectantur, Amen.  
 D O M I -



**DOMINICA ZIZANIO-  
RVM, QUAE INIMICVS SPAR-  
git in agrum Domini, Matth. 13.**

**T**V Fili DEI bonum semen protulisti ex sinu  
æterni Patris tui, salutarem vocem Euangelij de  
tuis beneficijs, eamq; instituto ministerio sub-  
inde in multum spargis, vt enascatur seges fe-  
rens multum fructum, qui implere posset tuum  
horreum. Te rogamus, riga ariditatem nostræ  
naturæ tuo viuifico succo & calore, vt fiamus  
ager fœcundus & gratus, vt tuum semen in no-  
bis fructificet fidem & nouam iusticiam tibi  
placentem. Et quia in hac vita tuæ Ecclesiæ  
mixti sunt hypocritæ, sicut steriles auenæ vel  
lolium, etsi habent speciem sanctitatis & iusti-  
ciæ: da vt non contaminemur malis exemplis,  
sed perseueremus in vera agnitione & inuoca-  
tione tui, & fructum multum feramus. Tuba  
etiam tui verbi & motu tui Spiritus excita nos  
omnes, & in primis agricolas doctores tuos, vt  
simus vigiles. Excute nobis segnicie & veter-  
num securitatis, ne dormientibus nobis insper-  
gantur tuo cœtui zizania ab hoste tuo diabolo,  
corruptelæ sanæ doctrinæ aut profanitas vel  
peccandi licentia. Rege etiam tua sapientia do-  
ctores Euangelij, vt rectè fecent tuam doctri-  
nam, retineant discrimen inter potestatem po-  
liticam, quam armasti gladio ad defensionem  
totius legis tuæ, & inter ministerium quod ar-  
guit errantes verbo, sine vi corporali. Fac vt  
ia



in mansuetudine & patientia erudiant errantes, doceant infirmos, & lapsos in laqueos diaboli reuocent, vt non excitatis motibus & scandalis non necessarijs, triticum euellant cum lolio, nec somnient Ecclesiam Anabaptisticam, in qua nulli sint mali. Largire vt adolescentes in læta maturitate attingamus tuam messem, quando beati tui Spiritus grana ex terra colligent, & corpora hominum resuscitata ex morte & ornata noua gloria fecunditatis, ea collocabunt in tuum regnum, vbi tui electi fulgebunt sicut Sol, impleti in anima diuina luce simili lumini æterni Patris tui, & corpore immutati ad talem nobilitatem æternæ vitæ, qualis in tua massa humana fulget, A M E N.

DOMINICA MAGNAE VI-  
NEAE IN QVA SVNT DISSI-  
miles operarij, Matth. 20.

SEPTVAGESIMA.

ÆTERNÆ Paterfamiliās, conditor vniuersæ creaturæ tuæ, qui prodijsti ex arcana sede tua & per filium tuum decretum de collectione & glorificatione Ecclesiæ edidisti: Tu constituisti ex tua sapientia & bonitate vineam hæreditatē pro tuo Filio. Eiectum erat genus humanum propter peccatum in solitudinem tristissimam miseræ huius vitæ: sed tu per Filium erigis tibi verum paradysum & hortum, in quo educas plantulas & vites impletas læto succo, qui pecto-

H

ra om.



ra omnium credentium læticia inenarrabili ri-  
 gat. Tibi gratias agimus quod omnibus ætati-  
 bus mundi vocasti colonos & vinitores, qui  
 istum tuum succum quærunt, & aridam ter-  
 ram, te dante, bona cultura emendant. Tuo  
 consilio ex reliqua parte generis humani dam-  
 nata segregasti tibi sanctos Patres, vineæ tuæ  
 præstantissima lumina, coëgisti cœtum tuorum  
 operariorum, elegisti certam gentem quam vo-  
 luisti distinguere ab alijs populis, ceremonijs &  
 legibus politicis, exercuisti gubernatores tui po-  
 puli pondere diei & æstu, onere legum & affli-  
 ctionibus comitantibus gubernationem. Tan-  
 dem verò die inclinato & accedente fine mun-  
 di, vocasti etiam miseros ethnicos, ignaros tuo-  
 rum beneficiorum, ex immensa misericordia, &  
 in promissione præcipua & finali fecisti exæqua-  
 tionem gentium: Te oramus æterne & sapien-  
 tissime agricola, retrahere nos ex deserto huius  
 mundi: Facito nos ciues tuæ vineæ. Imo fac  
 nos palmites in vite vera & viuifica in Filio tuo,  
 ex quo bibere possimus vinum iusticiæ & vitæ  
 æternæ. Da vt non solum simus in cœtu voca-  
 torum nomine & specie, sed simus electi &  
 sinceri, tibi agglutinati vera agnitione & inte-  
 gritate. Et tu prudentissime Oeconome æterni  
 Patrisfamiliæ, Fili Dei, cui pulchra hæreditas &  
 vinea à tuo Patre contigit, quando ingruit ve-  
 spera, quando opprimimur caligine dubitatio-  
 num, tenebris in mente, pauoribus nostræ con-  
 scientiæ metuentis tuum iudicium & horribili-  
 bus



bus turbationibus diaboli, tunc porrige nobis  
 tuum denarium, quem credidisti tuis pandoc-  
 cheis, Erige nos promissione Euangelij, quæ  
 docet te esse *λύτρον* æquivalens pro peccatis  
 mundi, & quæ monstrat tuam imaginem & ef-  
 figiem oblatam in verbo, & quæ per tuum Spi-  
 ritum in corda credentium imprimitur, vt con-  
 stituatur vera conformitas cum te, qui es ima-  
 go æterni Patris tui, redigens omnia ad idem  
 caput. Iuua nos tua præsentia, vt accepto tanto  
 beneficio non fiamus aduersus te ingrati, sicut  
 impij Iudæi, qui tuum denarium fastidierunt,  
 & tumidi persuasione suæ iusticiæ tecum ausi  
 sunt litigare. Et ideo à facie tua reiecti sunt,  
 nec valorem tui denarij adepti sunt. Aspice nos  
 tuo beneficio & liberali lumine, & in hac vltima  
 hora mundi infigito denarium tuum nostræ de-  
 fatigatæ & anxietatis animæ, vt efficaciam illius in  
 mœsta illa vespera gustemus, & demum vbi cla-  
 rum mane illucescet, in vita æterna inter electos  
 tuos perpetuò eam experiamur, A M E N.

DOMINICA MAGNÆ SE-  
 MENTIS SPARSÆ INDISSI-  
 miles agros, Lucæ 8.

EXISTITU Fili Dei missus ab æterno Pa-  
 tre tuo à principio, & instituto ministerio, in  
 quo sonat vox de tuis beneficijs, fecisti saluta-  
 rem sementem Euangelij. Magna quidem tuæ  
 glebæ est frigiditas & sterilitas, rarus est ager

H 2

gratus



gratus, neque tamen verbum tuum ad te reuertitur inane, & te foecundante alicubi tuum sanctum semen fructificat. Fatemur nos esse immundam massam, sterilem & ingratham: sed tibi toto pectore gratias agimus, quod prodijsti ex tuo arcano lumine & ex gloria tui Patris, passus es tibi de collo suspendi saccum plenum granis, assumisti humanam naturam quae inserta λόγῳ efficitur foecunda, spargit grana Euangelij & Spiritus sancti, per quae tibi crescit seges aliqua in genere humano, tibi dulcis & dilecta, ex qua deinde rursus grana in terram conduntur, quae die vltimae & gloriosae messis proferent corpora tibi similia in latissima foecunditate. Prouoluimur ante pedes tuos supplices tibi benefice agricola: Tu formasti nostram naturam ex gleba terrestri, & illi limo inspirasti spiraculum vitae, animam, quae viuebat vita ornata sapientia & gloria tibi simili, cum sis vita, & tua vita sit lux hominum, impleuisti hanc fragilem massam flatu tui spiritus, qui incubaret tuae creaturae, sicut fida gallina fouet suos pullos. Factum est genus humanum ingratum, rapuit tuis inimicus verbum ex cordibus primorum parentum, & secuta est tristissima sterilitas in natura abiecta a tua facie: Sed tu qui non cessas spargere tuum semen, tuo calore, tua dulci rigatione corrige ariditatem tuae glebae, scinde corda nostra aratro & ferro tuae legis. Fac vt serio doleamus de nostris peccatis, sana nostra vulnera, pinguedine & oleo tui Spiritus, vt fiat salutaris sterco-

ratio



ratio & emendatio nostri sabuli frigidi & ingrati. Iuuato nos vt tuum semen in nobis hæreat, foris tuam doctrinam seriò amplectamur, & intus in anima tui efficaciam experiamur, vt erumpentes ex meatibus terræ, eluctati ex tentationibus, proferamus herbam, aristas, spicas & esculenta grana, confirmemur in vera agnitione & inuocatione tui, vt lux nostra coram hominibus luceat & glorificetur æternus Pater tuus. Et quia tuo consilio fit diuersa donorum distributio ad vtilitatem Ecclesiæ, non sinas hoc vltimum mundi solum planè esse effectum. Serua etiam nobis aliquos doctores ornatos donis Spiritus sancti heroicis, vt tua veritas illustretur & ad nostram posteritatem sine corruptelis propagetur. Ne subtrahes nobis lumen & calorem tui Spiritus, ne destituti tua præsentia abijciamus confessionem veritatis, metu periculorum, neq; auaritia radix malorum radicem tui seminis in nobis suffocet. Tu etiam **FILII DEI** qui apparuisti vt destruas opera diaboli, procul depelle à nobis mendaces & crudeles spiritus, qui corda impiorum captiua tenent, ne tibi vniantur fructu fidei & iusticiæ: Da vt segregati ab hypocritis qui externo solum titulo tuus ager sunt, intelligamus tua mysteria, concionem arcanam quam protulisti ex sinu æterni Patris tui, de restitutione generis humani, & illorum tuorum beneficiorum verè siamus participes, vt lux nostra clarè luceat & nostro exemplo multi ad societatem Ecclesiæ

**H 3** inui-



inuitentur. Augeto nobis fidem & dona Spiritus: Prohibe vt non congruat in nos illa tristissima & horribilis vox: Intrauit in eum Sathanas, vt non auferatur à nobis quod homo ex natura habet, vt non hæc misera natura & anima amissa naturali luce & intellectione propellatur à diabolo in scelera & tenebras idolatricas, quales fuerunt ethnicorum. Tu prius communi incendio hanc mundi machinam deleto, quam patiaris nos opprimi tanta turpitudine cultuum & vitæ, qualis fuit inter gentes, & iuuato vt absoluto nostro curriculo in patientia, condamur denuo in gremio tuæ terræ, deponentes nostras animulas in tuum sinum, donec indicetur augusta tua messis, in qua electi tui resuscitati, sublata priori semente, abolito ministerio & omnibus peccatis, in noua vita tecum viuent, A M E N.

D I E M A T T H I A E A P O-  
S T O L I, E L E C T I I N L O C V M  
proditoris, Matthæi III.

T V F I L I D E I noua læticia exilijsi de collectione Ecclesiæ, & tuo Patri egisti gratias cum gaudio, quod aliquod semen sanctum ex genere humano excerpit, nec tuum cursum patitur esse inutilem. Nos enim toto pectore tibi agimus gratias, quod lætaris propter nostram salutem: & tua potentia diabolum reprimis, ne totum genus humanum absorbeat. Collige tibi de-



bi deinceps etiam inter nos cœtum tibi placen-  
 tem. Et quamuis misera & sordida est tuæ Ec-  
 clesiæ species, & tuam sapientiam illi, qui viden-  
 tur lumina mundi, fastidiunt, sicut te vagantem  
 cum tua schola & pio auditorio, nec Tiberius  
 cum suo senatu Romano, nec gubernatores &  
 pontifices Iudæi audiebant: tamen iuuito nos,  
 vt ista iniquitate iudiciorum mundi nihil moue-  
 amur, sed mentes nostras in piam captiuitatem  
 redigamus, vt vera fide te agnoscamus æterni  
 Patris tui Filium, simus infantes tui, accipiamus  
 à te sermonem & vocabula, qui ex sinu æterni  
 Patris tui consilium de restitutione hominum  
 profers, cui omnia in cœlo & in terra data sunt  
 propter nos, qui sumus tui socij. Ducito nos tua  
 manu, tuo verbo & spiritu ante conspectum  
 Patris tui, monstra nobis iam noua luce intus in  
 anima præsentiam tui Patris, qui nobis est placatus  
 per te. Sis tu nobis familiaris & domesticus,  
 instillans nobis per tuum Spiritum initia illius  
 lucis & iusticiæ, qualis in te ab æterno Patre tuo  
 propagatur, cum sis lumen de lumine, & ἀπὸ  
 πατρὸς paternæ lucis & gloriæ. Illustret etiam  
 beneficis radius huius gloriosi luminis tene-  
 bras nostræ naturæ. Ecce sancte Samaritane,  
 tu optime Medice animarum nostrarum, tibi  
 manus nostras porrigimus, sumus saucij, labo-  
 ramus & vagamur miserrimè. Spoliavit nos  
 tuus hostis & lethalia inflixit vulnera. Ita su-  
 mus onerati mole & grauitate morbi, vt nostra  
 anima sese colligere non possit, sed iamiam su-  
 mus



mus expiraturi, merſi in mortem & damnationem: tu recrea noſtram anhelam & trepidantem animam, vino & oleo tuo lætiſſimo, tuo diuino & viuificante balfamo. Erige nos ex morte: loquere tuam conſolationem in cordibus noſtris: fac vt anima noſtra in te habeat requiem & læticiam. Impone nobis tuum ſuaue iugum, domato noſtram carnem tuo ſpiritu: excita in nobis tuo flatu nouos motus & ſanctas agitationes tibi conformes. Tu verè es manſuetus, non cupidus vindictæ, non abieciſti miſerum hominem in æternam mortem, ſicut diabolos, ſed in tuo corpore ſupplicium pro nobis luſti & preces pro tuis hoſtibus fudiſti: Tu es humilis corde: Abieciſti te infra omnes angelos & homines: induiſti fragilem & immundam pelliculam noſtræ naturæ: non rapuiſti vſum diuinitatis tempore paſſionis, quæcuius *λόγος* inenarrabili modo, vt natura humana pati & mori poſſet. Extingue etiam tuo ſancto ſpiritu in nobis horribilia incendia odiorum, cupiditatis vindictæ, (quæ vita ipſa, vt homines dicunt, dulcior eſt,) & flammæ ſuperbiæ. Fac vt agnoſcentes noſtras ſordes, proſtrati ante faciem tuam in vera humilitate à te petamus opem, & vt ſanati perſeueremus in imitatione tui exempli obœdienter. Iuua vt in hac vita ſemper in omni tentatione & anxietate noſtra ex te fonte vitæ hauriamus rigationem, & potiamur deinde in æterna vita integra requie & perfecto Sabbatho, quando tuis electis Patrem tuum de  
 facie



facie ad faciem monstrabis, AMEN.

DOMINICA CHRISTI

PRAEDICENTIS SVAM MOR-

tem & resurrectionem infirmis discipulis suis, Luc. 18.

REFERT Fili Dei historia tuæ mortis imaginem generis humani distracti in duos diuersos cœtus. Procedis tu cum tuis auditoribus in Iudæa, vaticinaris tibi hoc iter futurum fatale, recitas historiam tuæ passionis & resurrectionis. Imbecilles tui discipuli fascinati opinione & spe regni mundani, tua mysteria non intelligunt. Paulò post oppressus horribili dolore & sensu iræ Dei aduersus nostra peccata manans cruore, pendes in ligno medius inter duos latrones. Mœstissima mater tua stat sub cruce, discipuli se abdunt, gemit tecum natura rerum, Sol contra ordinem physicum amittit lucem, terra tremat & mugit, dehiscunt scopuli: Interea alter cœtus cuius dux est Diabolus, aut te fodit, fauciat, imponit tibi coronam ex spinis, inijcit tibi purpuram, ludit de tuis vestibus. Ethnici celebrant Bacchanalia, discurrunt Romæ & alibi homines nudi vtriusq; sexus in publicis locis, ruunt in promiscuas & fœdas libidines, maledicunt vero DEO furentes idolatria, helluatione & libidinibus, & tandem omnes in æternum ruunt exitium, proiecti à beato conspectu DEI & cœlestis Ecclesiæ. Sed tu Iesu Christe fili Dei,

H 5

segre-



segrega nos à coetu damnato, & aggrega nos ad  
 tuum agmen, non projicias nos infirmos & im-  
 becilles, perficias tibi laudem ex ore infantium  
 & lactentium, medere nostræ caligini, auge  
 nobis fidem, & accende lucem intelligentem &  
 apprehendentem tua beneficia. Da vt non for-  
 midemus cum tua sancta matre, cum tua Eccle-  
 sia stare sub cruce, cum tu noster Dominus pen-  
 deas in cruce. Procul arce à nobis furores Bac-  
 chicos & turpitudinem ethnicam. Reprime et-  
 iam hostes tuos, qui te in electis tuis fodiunt,  
 qui tuum caput spinea corona configunt, qui  
 tuam Ecclesiam in tyrannidem humanam trans-  
 formant, ludunt de tuis vestibibus, & bona at-  
 tributa Ecclesiæ profundunt ad immania scele-  
 ra. Gemamus cum natura rerum gemente no-  
 biscum, & nunquam obscuretur in nobis sol  
 iusticiæ, lucens ad æternam vitam. Imitemur  
 pij Barthimæi vocem, clamemus: Domine fac  
 vt videamus lucem: neque deterreamur à con-  
 fessione vel iniquis iudicijs mundi, vel vllis pe-  
 riculis: sed te Filium David constanter incla-  
 memus tanquam datorem lucis & vitæ. Et tu  
 misericors Domine, consiste in afflictione no-  
 stra, exaudi gemitus tuorum, educito nos ex  
 profana turba ad tuum coetum, & immitte no-  
 bis radium tui luminis, imprime nobis fidem  
 saluificam, & iuua vt grati tua beneficia cele-  
 bremus & retineamus, & Patri tuo vera laus tri-  
 buatur, A M E N.

DOMI-



DOMINICA CHRISTI  
VINCENTIS DIABOLUM IN  
terribili lucta, Matth. 4.

APPARVISTI Fili Dei, Domine Iesu  
Christe, vt destruas opera Diaboli. Fuit diabo-  
lus congressus visibili specie cum primis nostris  
parentibus odio tui, & æterni Patris tui: instil-  
lavit præstanti illi naturæ suspiciones & dubita-  
tiones de tua voluntate, & eam tirillavit cupi-  
ditate superioris & diuinæ gloriæ: impressit illi  
pruriturum curiositatis & superbix, & genus hu-  
manum superatum sua fraude, tandem abs te  
auulsum, in æternum rapuit exitium. Sed tu in-  
census iusta ira aduersus tuum hostem, mise-  
rum hominem ex faucibus ipsius eripuisti, &  
in carne demum, cum ipse immani ex audacia  
tecum luctari & contendere auderet, eum pro-  
fligasti, & procul à te & omnibus tuis depulisti,  
vt nos tua victoria muniti, tentationes ipsius te  
duce vincere possimus. Cum pio gemitu pre-  
camur te, ô Domine victor & triumphator, fac  
nos commilitones tuos, socios tuæ victoriæ, &  
armato nos tua diuina armatura, cognitione  
tui verbi & consolationum, vt ignita tela ne-  
quissimi Spiritus possimus repellere. Vniuer-  
sam Ecclesiam omnium temporum oppugnat  
tuus hostis istis machinis, quas in tua persona  
recens prodeunte à baptismo ad verum mini-  
sterium expertus es, cum suspicaretur tuum  
cursum ipsi futurum lethalem, & ramen DEO  
volens



volente nondum te Messiam cognosceret. Ex-  
 cruciauit te malignus spiritus hærentem in lo-  
 co deserto, sine autoritate humana, sine præsi-  
 dijs, sine potentia & opibus, horribilibus cogi-  
 tationibus, tanquam telis suis, pulsantibus tuam  
 animam, & percellentibus tuum cor anxietate  
 inenarrabili. Ecclesia etiam tuâ iacet in deser-  
 to, humilis, spreta, deformis, multa membra  
 tuorum egent, premuntur iniquis exilijs & ma-  
 ximis ærumnis. Ridei diabolus in hostibus tuis  
 amarum sarcasum, ludit tuos sanctos stantes  
 sub tua cruce, vult vt lapides vertant in panes,  
 contemnit eorum miseriam, & opponit sui re-  
 gni gloriam & opes: Iuua nos vt in illa tenta-  
 tione apprehendamus tuum salutarem clype-  
 um, & intueamur tuam istam egregiam respon-  
 sionem, Non in solo pane viuit homo, &c.  
 Agnoscimus te vnâ cum æterno Patre & Spiri-  
 tu sancto esse verum & omnipotentem Deum,  
 qui nobis illum halitum vitæ impressisti &  
 illam ordinem instituisti, vt in hac vita alamur  
 & sustentemur rebus corporalibus. Tu æterne  
 Pater, qui scis quod nobis opus sit his omni-  
 bus, & solus nouisti quare hoc ordine, & non  
 sicut stellas sine præsijs corporalibus, nos vis  
 sustentare: Dabis etiam tuo consilio Ecclesiæ  
 ea quæ sunt necessaria ad conseruationem hu-  
 ius vitæ, in qua voluisti fieri initium æternæ vi-  
 tæ. Etsi verò destituunt nos aliquando præsi-  
 dia humana, etsi tuus hostis nobis obijcit lapi-  
 des pro cibo: tamen te iuuante à te non defi-  
 ciamus !



riamus : Tu es figulus noster, nos sumus lutum  
 tuum, in tua manu posita est hæc machina re-  
 rum, non retinetur vitalis flatus in corpore no-  
 stro solo panis vsu, aut sola humana diligentia,  
 neque tu fatali catena caussarum secundarum  
 vinctus hæres, sed tuo decreto, tua voluntate  
 spiramus, in te ipso viuimus & mouemur, te di-  
 cente ingreditur nostra anima & viuit in hoc  
 corpore, te euocante, emigrat. Viuimus igitur  
 & superstites erimus, te dante, sicut volucres,  
 quæ nullam habent protectionem, viuimus si-  
 cut fœtus in vtero materno, qui non intelligit  
 quomodo viuat : sedet in illa sua tristi caligine,  
 tectus suis inuolucris, haurit per suum canalem  
 succum vitæ à sua dulci matre, & si non rum-  
 pit suas vestes ante diem, editur in hanc vitam  
 integer & sanus. Ita sedemus nos in tenebris  
 huius vitæ, in magna nostra caligine, in magna  
 rabie tuorum hostium, muniti tuo verbo, tua  
 promissione, haurimus consolationem ex tuo  
 verbo, quod sonat in Ecclesia, habemus prote-  
 ctionem à te mirabili modo, & læti expectamus  
 egressum è nostro corpore ad vitam meliorem.  
 Non enim solum ad miseras huius vitæ conditi-  
 sumus, sed largiris tuis vitam nobiliorem, quam  
 hic vis inchoari : Verè viuimus ex tuo verbo  
 æterne Pater. Filius tuus est λόγος alloquens  
 nos intus & foris, edit nobis tua decreta prolata  
 ex tuo sinu, de redemptione nostri, & intus in  
 corde loquitur tuam mentem & voluntatem,  
 excitat in nobis vitam tibi placentem & con-  
 formem.



formem. Seruatur igitur nobis vtraque vita, corporalis & spiritualis, non propter panem, non propter nostra merita, sed propter tuum decretum reuelatum per Filium. Quia porrò diabolus erga Ecclesiam tuam, collocatam aliquando in otium & pacem, alio genere telorum vtitur, pungit excellentia ingenia & doctores armatos auctoritate publica, motu superbiæ & curiositatis, mouentur disputationes ex ambitione & odio, deiciunt se ex pinnaculo templi celebres homines, seruntur corruptelæ tui verbi. Reprime etiam hac in parte, quæ plus nocet quàm prior, tuum hostem, qui deprauat tuam vocem, & ea ad stabiliendas prauas cupiditates vtitur, extingue in nobis flammam superbiæ, ne inducas nos in tentationem, nec permittas vt te tentemus, vt tecum pugnare velimus superbia, tibi oppositantes nostram sapientiam & astutiam, sicut iste aries primos nostros parentes prostrauit. Non sinas nos discedere à tuo verbo, nec permittas, vt mendacissimus Spiritus verbum tuum in nobis calumniatur, sed innitatur tuæ promissioni tanquam sacræ anchoræ, & eam motibus curiositatis & superbiæ opponamus. Ultimo, procul arce à nobis horribile illud tormentum idolatriæ. Iacet mundus implicatus idolatria, etiam nesciens plenus est orbis terrarum idolorum cum ingenti contumelia tui nominis. Eriguntur commenticia numina, stabiliuntur idolatricæ inuocationes, obscuratur tua gloria, ornantur idolatriæ defensores



fores opibus & potentia, & mentitur vanissi-  
 mus Spiritus, cum regna dicit esse præmia quæ  
 ipse soleat dare idolatris. Tu transfers &  
 stabilis regna: quod aliquid ordinis est in im-  
 perijs, hoc tuum opus est. A diabolo est *ἀνα-  
 ταστασία* & turpitude generis humani, propter  
 quam plectes eum iudicio ineuitabili. Miserere  
 igitur nostri, libera nos ex denso cœno idola-  
 triæ, fac ut oculos nostros attollamus ad te so-  
 lum verum Solem, ut spretis omnibus numini-  
 bus & cultibus impijs agnoscamus & inuoce-  
 mus te solum verum Deum, Patrem, Filium &  
 Spiritum sanctum, qui per & propter Filium  
 tuum nos à potestate Diaboli liberas & facis  
 nos ciues æterni regni tui, qui solus es *καρδιο-  
 γνώστης*, qui agnoscis & intelligis cogitationes &  
 gemitus omnium creaturarum, qui tantum vis  
 compellari in nomine tui Filij & propter eum  
 inuocantes exaudire. Te igitur Iehoua D E V M  
 nostrum alloquimur, tibi soli, te iuuante, ser-  
 uiemus, nec honorem tuum tribuemus alteri.  
 Increpa Satanam audacissimum latronem, qui  
 tuæ gloriæ insidiatur, procul à nobis eum fuga-  
 to, & munito animam & corpora nostra custo-  
 dia sanctorum tuorum angelorum, qui castra  
 sua propè nos locent, & aduersus diabolos qui  
 aërem obsident, præliantur, ut nos suis manibus  
 in istius vitæ lubricis vijs gestent, ut non impin-  
 gamus ex errore consiliorum, aut ex tragicis  
 malis, & tandem emigrantes nostras animas  
 suis manibus excipiant, & tibi ad societatem  
 æter-



æternæ vitæ tradant, A M E N.

DOMINICA DVLCISSIMAE  
DISPUTATIONIS CHRISTI ET  
mœstæ matris Cananæ, Matth. 15.

IN tuo secessu FILI DEI ad Sidonium territorium, vbi in deletionem illarum urbium, quæ olim propter sapientiam & potentiam, in toto genere humano fuerunt celebres, horribile exemplū iræ æterni Patris tui aduersus peccata hominū cernebatur, cum lugeres necem dulcissimi tui cognati & præcursoris, accurrit ad te mœstissima mater, cuius illius soli, vbi olim pia Saraptana tuum Prophetam Eliam & scholam ipsius pavit, spectatrix eiusmodi vulneris in filia sua, quam cruciabat diabolus, quod in corde humano post sensum iræ Dei est maximum. Tu iuua nos vt in nostris ærumnis etiam ad te confugiamus, vt à te petamus opem contra diabolum, vt mente ad te ascendamus & anxia nostra corda coram te effundamus, vt etiam heroica mater, te sustentante ipsam per tuum spiritum, & accedente illustre lumen fidei luctata est cum tentationibus, horribiliter corda pulsantibus, & te præeunte vicit splendidissime: Ita tu loquere in anima nostra: Confirma nos tuo spiritu, vt in vera inuocatione, sine fuga tua, sine trepidatione te accedamus, te præstolemur & expectemus in mora, speremus in te à custodia matutina vsque ad noctem, in media calamitate



mitate nitamur tuo verbo & promissione, spe-  
 remus in spem contra spem, contemnamus om-  
 nem catenam causarum secundarum augen-  
 tem nobis diffidentiam, & triti & inuoluti tua  
 promissione credamus secuturum exitū, quem  
 tu proposuisti. Non etiam frangamur tentatio-  
 ne de particularitate, qua diabolus mentes ho-  
 minum turbat, & a conspectu voluntatis reue-  
 latæ abducit. Non scribis tu in arcano consilio  
 tuo tabulas fatales Parcarum, nec ludis miseros  
 homines simulatione: Ostendit æternus Pater  
 tuus, verè omnium illorum nomen scribi in li-  
 brum vitæ, imò in beneficam manum suam,  
 qui ad te vera fide conuertuntur, & maior atq;  
 ardentior amor est in æterno Patre tuo erga il-  
 los, qui tibi inserti sunt, quàm in parentibus  
 pijs erga teneram, miseram & calamitosam so-  
 bolem. Verè igitur statuimus mandatum argu-  
 ens peccata, esse vniuersale, & promissionem  
 de reconciliatione simul pertinere ad omnes  
 homines. Et quamuis tu in hoc tuo curriculo  
 visibili fuisti minister circumcisionis, neque ali-  
 bi quàm in Iudæa conspici debuisti, beneficium  
 tamen tuum & benedictio tua ad omnes gentes  
 pertinet. Confirmato in nobis hanc fidem in-  
 tuentem tuam misericordiam amplissimam, nec  
 finito nos disputationibus Stoicis vel Enthusia-  
 sticis turbari aut abs te auelli. Repetimus cum  
 optima matre subinde hanc vocem: **DOMINE**  
 iuna nos secundum tuam promissionem, neque  
 absterreat nos conspectus nostræ indignitatis.

I

Facito



Facito vt infigamus nostræ menti ingeniosam  
 & suauem argumentationem, quam ex sancta  
 muliercula sonuit tuus Spiritus: Sumus indi-  
 gni, sumus rei & immundi, sumus canes, abiecti  
 fuimus à tua domo & aula, allatrauimus tuam  
 & æternam Patris tui gloriam. Contaminati  
 fuimus spurcitie idolatrica, horribili turpitudi-  
 ne vitæ, gessimus bellum cum tua veritate. Sed  
 TU FILI DEI, qui apparuisti in carne, & fa-  
 ctus es vermis, vt nos immunda animalia laua-  
 res tuo sanguine, miserere nostri. Ecce accurri-  
 mus ad te, vt parua catella delassata fame, siti,  
 & cursitatione, & iam iam expiratura, procidi-  
 mus ante tuos pedes, projice ad nos vnã mi-  
 scam ex tua gloriosa mensa, in qua est nectar &  
 ambrosia immortalitatis. Sentimus pondus tuæ  
 iræ, nostras misérias & immundiciem. Sedent in  
 tua mensa Patres & Prophetæ, lumina Ecclesiæ  
 tuæ, vescuntur cibo tuæ gloriæ: fac vt nos col-  
 ligamus aliquas reliquias. Tu es panis vitæ, ex-  
 ple nostram famem, nostrum desiderium tua  
 præsentia, satia nos tua cõsolatione & commu-  
 nicatione tui: Clamat ad te Ecclesia ex maxi-  
 mo dolore, intuens in furores diaboli crucian-  
 tis maximam partem generis humani, afficien-  
 tiste contumelia cum horribili blasphemia. Re-  
 prime hostem tuum, excerpe tibi aliquos ex  
 illa damnata parte hominum, libera homines à  
 potentia diaboli grassantis in tyrannis, in malis  
 doctoribus. Sana nostra pectora tuo verbo,  
 luceto in anima nostra tuo spiritu. Inserito nos  
 massæ



massæ tuæ, & sustenta nos ad vitam æternam:  
 Fiat etiam nostra fides magna, & fiat quod peti-  
 mus secundum tuam promissionem, vt multū  
 sancti in hac vita per inchoationem, tandem in  
 vita æterna lati tecum accumbant in augustam  
 tuam mensam, & satientur tuo conspectu in  
 omni æternitate, A M E N.

**DOMINICA CHRISTI**  
**ELICIENTIS DIABOLVM RELV-**  
 ctantem apud dissimiles spectato-  
 res, Luc. 11.

**TU IESV CHRISTE** Domine & Sal-  
 uator noster, es illud benedictum semen, conte-  
 rens caput diaboli. Fuit hæc natura humana pe-  
 culium tui æterni Patris, qui est noster posses-  
 sor, optimus Baal & Paterfamiliās: Sed impu-  
 rus Beelzebub, immunda illa musca, inquinans  
 suauia vnguenta, hostis tuus, & æmulus, suo  
 murmure & strepitu aures & mentem nostram  
 turbauit, & suaue verbum tuum calumniando  
 in nobis contaminauit, linguam nostram liga-  
 uit & nos ad interitum abripuit: sed tu qui ap-  
 paruisti in forma serui, sceleratum latronem ex-  
 pugnasti, armaturam ipsius peccatum & mor-  
 tem dissipasti, & tua spolia, beneficia tuæ victo-  
 riæ perpetuò distribuisti, latronem autem cui  
 nihil nisi poena debetur, in æternos cruciatus  
 abijcies. Tibi autem fortissime Michaël & bella-  
 tor, gratias agimus pro tuo beneficio, fac nos  
 socios



socios & participes tuæ victoriæ, procul nos se-  
 grega à cœtu blasphemio faciente conuicium  
 tuo Spiritui. Auferto etiam nos ab Enthusia-  
 stis, qui discedentes à tua patefactione, tecum  
 certant sapientia, & petunt signa è cœlo secun-  
 dum suam imaginationem sine voluntate reue-  
 lata. Inere verò nos tuæ simplici & obsequenti  
 turbæ, quæ admiratur tua opera & ea reueren-  
 ter complectitur. Procul procul à nobis depelle  
 furores blasphemix, excitatos immediatè à dia-  
 bolo, qui intrat in corda impiorum, impellit eos  
 in tristem caliginem & scelera, vt naufragiū fidei  
 faciant, Spiritum sanctum executiant, eum argu-  
 ant mendacij, & amissis donis fidei & donis na-  
 turalibus in finali contemptu tui vsque ad mor-  
 tem perseuerent. Firmiter nitamur tuo verbo  
 patefacto in Ecclesia, & intueamur ordinem  
 à te institutum. Non quæramus nouas illumi-  
 nationes, aut miracula, nostro arbitrio, nec ex  
 humana astutia conemur ingredi mediam vi-  
 am, & quærere conciliationes dogmatum cum  
 contumelia tui. Tibi est bellum *ἐκ τῶν οὐδῶν* cum  
 antiquo Dracone. Sicut igitur eum vicisti in  
 tuo corpore: Ita etiam iugula eum in nobis.  
 Immani rabie in nos grassatur circumiens tuos,  
 vt leo rugiens, magno studio cum suis in nos  
 conspirat & infidiatur: Sed tu statò in excubijs  
 pro nobis cum tuis sanctis angelis. Serua nobis  
 semper incorruptam vocem in tuo ministerio,  
 in quo sancti Prophetæ & Doctores monstrant  
 te liberatorem generis humani, & de te testimo-  
 nium



nium contra blasphemos dicunt. Tu illud attri-  
 um nostri pectoris, quod fuit conditum vt esset  
 templum diuinitatis, repurga à sordibus tui ini-  
 mici, accende in nobis veram lucem & iustici-  
 am. Vre corda nostra igne tui Spiritus, & pro-  
 hibe securitatem & curiositatem carnalem. Lu-  
 ctamur **FILII DEI** non cum carne & sangui-  
 ne: sed cum spiritu nequissimo principe mun-  
 di, qui intentus est in omnes occasiones, & suo  
 arcano & terribili afflatu, qui à Physicis exponi  
 non potest, homines rapit in tristissima mala:  
 Sed tu tuo salutari flatu nos confirma, vt omnia  
 tela huius Veteratoris euitemus, non sinas do-  
 mum tuam mundatam tuo sanguine, ornatam  
 tua iusticia, quæ est domicilium diuinitatis, de-  
 nuo fieri speluncam turpissimi latronis: non  
 subtrahas nobis tuam manum, non redeamus  
 ad vomitum sicut canis, non fiant posteriora  
 deteriora prioribus, sicut accidit Cain, Saul, Iu-  
 dx, Arrio & multis alijs. Verè beata fuit tua san-  
 cta mater, quæ te peperit, & veram fidem intu-  
 entem tua beneficia inter tristissima spectacula,  
 tunc quando tuum corpus cruentum in cruce  
 pependit, & cum tuum cadauer desertum ab  
 anima sub terram conderetur, retinuit, & statuit  
 te etiam stillantem sanguinem, morientem &  
 sepultum, esse datorem vitæ & gloriæ æternæ:  
 Simus etiam nos beati te iuuante, simus studio-  
 si auditores tuæ vocis patefactæ in Ecclesia, si-  
 mus fideles custodes tui sermonis in fide & bo-  
 na conscientia, vt in hac vita simus atrium &



domus diuinitatis, & in altera vita in illa tua  
dulcissima aula, impleti æterna beatitudine, ha-  
bitemus, A M E N.

**D O M I N I C A C H R I S T I**  
**P A S C E N T I S S V V M C O E T V M**  
miraculosè in viridi gramine circa festum  
Paschatos, Iohan. 6.

**T V A** est promissio æterne Pater edita per  
**Filium** tuum de Ecclesiæ tuæ protectione &  
nutritione. Leones esurierunt: timentibus au-  
tem Dominum non deerit vllum bonum. Et-  
iam magna imperia quassata tua vindice dextra,  
propter scelera, corruunt, & potentissimi homi-  
nes deserti ab omnibus rebus humanis misera-  
biliter perierunt: sed quiescentes sub vmbra ala-  
rum tuarum custodiuntur tamen & seruantur  
mirabiliter: Tibi igitur gratias agimus, quod  
Ecclesiæ tuæ etiam promissiones de rebus cor-  
poralibus patefecisti, & bona illa petentibus se-  
cundum voluntatem tuam, largiris liberaliter.  
Agnosimus, nos viuere non casu, nec casu bo-  
na ista inter homines distribui, aut sola humana  
industria vel potentia parari, sicut porci glandes  
rapiunt. Accepimus vitam ex tuo afflatu, ser-  
uatur ea in nostro corpore te benedicente:  
verè tua benedictio facit diuites, nec humana  
sapiencia sine te felix esse potest. Dabis igitur  
Ecclesiæ tuæ etiam ista bona, sine quibus hæc  
vita stare non potest. Dabis nobis hospitia, pa-  
nem,



nem, victum, defensionem, cum tribulatione  
quidem, ex tuo inenarrabili consilio, dabis ta-  
men. Iuua nos, vt vera fide ad te confugien-  
tes, sancto ordine abs te ista petamus & expe-  
ctemus. Præluceat fides accipiens tuam iusti-  
ciam, & deinde secundum tuum consilium pe-  
tens etiam corporalia, nec languescat illa vllis  
contrarijs spectaculis, etiam pugnantibus nobi-  
scum omnibus caussis naturalibus, tamen ani-  
ma nostra in tuo verbo sustinebit. Seruasti po-  
pulum tuum stantem inter vndas maris rubri,  
seruabis etiam nos frementibus omnibus hosti-  
bus tuis. Attollimus igitur ad te corda nostra,  
& fundimus tibi gemitus quos in nobis ciet tu-  
us Spiritus. Tu es Pater noster, diligens nos ar-  
denter propter tuum Filium, & ideò impressisti  
nostræ animæ flagrantissimum amorem erga  
sobolem, vt ille nos commonefaceret de tuo  
amore erga nos. Si igitur nos complecteris, si-  
cut pia mater teneram suam sobolem oppres-  
sam aliqua calamitate, verè nos exaudies. Tu es  
in cœlis, nobis certo præsens, & intelligis no-  
stra suspiria, & iudicas corda nostra: fulges mi-  
rabili modo in pijs hominibus, fruentibus tua  
visibili consuetudine, & nos in hac miseriarum  
valle vis facere ciues & heredes illius beatæ pa-  
triæ. Sit igitur nomen tuum in nobis sanctum:  
Accende in nobis illam beneficam lucem, quæ  
te agnoscat & inuocet sine caligine Mahometi-  
ca, idolatrica, & sine erroribus. Veniat nobis  
tuum regnum. Rege tu nos effuso in nostram





animam tuo sancto Spiritu, qui sese spiritibus  
 natis in nostra natura permisceat & veram con-  
 formitatem cum te inchoet. Agnitionem &  
 gubernationem sequantur salutares actiones.  
 Fiant opera abs te mandata, fac ut tibi obœdia-  
 mus sicut casti angeli tibi obœdiunt. Fac ut si-  
 milis obœdientia in nobis conspiciatur, qualis  
 cernitur in pijs, viuentibus in vita æterna. Quia  
 igitur vitam æternam vis inchoari in ista vita,  
 dato etiam præsidia huic miseræ vitæ necessa-  
 ria, victum, pacem, salutares magistratus, & non  
 sinas Ecclesiam tuam absorberi ab immanibus  
 hostibus tuis. Sumus rei, inquinati peccatis:  
 Sed tu dona nobis remissionem propter Filium  
 tuum, accende in nobis veros motus pœniten-  
 tiæ, ut conuersi ad te, tecum & cum omnibus  
 hominibus quantum in nobis est, pacem ha-  
 beamus. Oppugnat nos tuus hostis calliditate  
 & rabie terribili: sed tu porrige nobis tuam de-  
 xtram, nec sinas nos vinci aut succumbere in  
 tentatione: sed supera diabolium in nobis per  
 tuum Filium. Depelle à nobis istum *πονηρόν* &  
 rabiosum spiritum, & nos liberatos ab omnibus  
 malis, æternis & corporalibus, collocato in tuū  
 regnum. Tu etiam Fili Dei eleua tuos oculos  
 super tuam infirmam turbam, quæ pendet ex  
 tuo ore, & à te alitur & defenditur miraculose:  
 Iuua ut abducamus oculos nostros à numera-  
 tionibus & consilijs humanis, & illi in te spe-  
 rent DOMINE: te dante & benedicente escam  
 colligemus, & hanc vitam retinebimus. Si non  
 defen-



defendent nos muri & arma, tamen tu eris murus in circuitu nostro igneus, & tuos in viridi gramine tueberis, & paulò post ordieris lætum illud Pascha, & æternum Sabbathum, vbi nos ex deserto, ex mari & sterilitate, in vberimam tuam aulam educes. Interea fac vt tibi simus grati, colligamus reliquias proiectas ad nos ex diuite tua mensa. Serua nobis cophinos, scholas & artes, vt possit fieri propagatio tuæ doctrinæ. Neque solum te complectamur propter illam corporalem beneficentiam, sed facito vt fruamur te, qui es panis æternæ vitæ: sis tu noster Rex, defendens nos in hac vita contra potentiam diaboli, & pasce nos tuo cœlesti & viuifico cibo, qui animas nostras sustentet ad vitam & læticiam æternam, A M E N.

## P A R A E N E S I S.

Aequum est vt Silesia retineat memoriam huius diei dominici, quia illo fuerunt quasi communia & publica encœnia in tota hac prouincia & toto regno Poloniæ. Nam cum annis superioribus primum in regione ista doctrina Christi publicè esset cœpta doceri, hoc die dominico, anno 966. ex mandato principis Polonici Mieslai repurgata sunt templa ab idolis Ethnicis, & statuæ idolatricæ affixæ magnis perticis sunt gestatæ per vicos, & tandem proiectæ in cœnum & combustæ. Ideo adhuc manet quidam mos inter pueros, qui repræsentantes istam idolorum confractionem &



deturbationem, circumgestant imagines mortis & sonant carmina de eiectione diaboli. Inchoarunt ministerium docendi in hac terra homines Itali, Germani & Bohemi. Primus Episcopus fuit Godefridus Romanus: sed Episcopi tunc erant doctores, & collegia erant scholæ. Et quamuis iam ea ætate, puritas doctrinæ fuit corrupta per traditiones humanas, tamen nondum erant tales tenebræ, quales posterioribus seculis sunt securæ. Sacerdotes habebant uxores. Nondum erat tunc profanatio sanctæ cœnæ. Nulla erat circumgestatio consecrati panis. Homines melius docebantur de beneficijs Christi. Nondum erant tot examina monachorum. Episcopus habitauit in Smogra, Pago, propè Namslaium, & erat pauper. Illi homines exteri simul accendebant studia, flectebant homines ad ciuitatem, curabant extrui oppida. Nam illo tempore Vratissania, Glogouia & aliæ vrbes cœperunt. Agamus igitur gratias Deo, qui nostram gentem rapuit ex potestate tenebrarum, & conuertit nos ad agnitionem sui filij. Oremus eum, vt suam lucem in nobis augeat, eijciat ex nostra terra omnia idola, & nunquam sinat eam denuo caligine Mahometica, aut alia idolatria opprimi.

DIE CHRISTI CONCE-  
PTI IN ALVO VIRGINIS,  
Lucæ I.

TVA



**T** **V** **A** sapientia æterne **D** **E** **V** **S** distincta sunt  
 tempora, quæ nos certiores faciunt de tuis be-  
 neficijs & de æternitate, quæ post huius mundi  
 interitum sequetur. Nunc elapsi sunt anni  
 5528. quando post creationem cœli & terræ,  
 angelorum & omnium creaturarum, dicente  
 filio, hominem ex limo terræ formasti, & illi  
 massæ, spiraculum vitæ, animam ornatam sapi-  
 entia & iusticia tibi conformi inspirasti. Prolo-  
 cutus est deinde Filius tuus arcanum decretum  
 de restitutione hominis, lapsi per peccatum in  
 æternam mortem, & pellicula detracta purissi-  
 mæ ouiculæ nudam naturam vestiuit. Iugula-  
 tus fuit eodem anni tempore innocens Abel,  
 typus venturæ victimæ, cuius sanguis verè cla-  
 mat in cœlum ad Patrem, & impetrat remissio-  
 nem omnibus credentibus. Ductus fuit simili  
 tempore ad maçtationem Isaac. Et in populo Is-  
 raël tu hos dies iussisti agi solennes, in quib. so-  
 nare voluisti vocem de tuis beneficijs. Hoc et-  
 iam solenni & læto die æquinocij verni filius  
 tuus, angelo nunciante & Spiritu tuo vterum  
 virginis fœcundante, & massam purificante, na-  
 turam humanam sibi admirando & indissolubi-  
 li fœdere copulauit ὁ λόγος ante annos 1567.  
 Eodem die ante annos 1532. tuus Filius ge-  
 neris humani redemptor, in infirma & cruenta  
 sua pellicula verus Siloh in cruce pependit, &  
 dum Sol gradiens inter Orionem & Pleiadas  
 splendorem suum amittit, ipse inter dolores &  
 cruciatus intolerabiles creaturæ, expirauit. **Ve-**  
**cus**



tus etiam sermo est, hoc anni tempore reditu-  
 rum in nubibus Dominum nostrum I E S U M  
 Christum, ut deuictis hostibus suis cum trium-  
 pho ostendat se toti generi humano resuscita-  
 to, & inchoet nouum & æternum regnum. Tu  
 F I L I D E I sis efficax in cordibus nostris, &  
 excita nos ad tantarum rerum consideratio-  
 nem. Te protegente & castris tuorum angelo-  
 rum illa vilia oppida cingentibus, sanctæ familiæ  
 castarum virginum & matronarum inter maxi-  
 ma pericula manserunt tutæ & inuiolatæ: tuo  
 Spiritu veritas cœlestis in ipsis est ob signata, ut  
 non seducerentur corruptelis Pharisæicis vel  
 Sadducæis. Serua etiam in hac vltima mundi  
 ætate tibi aliquot sanctos cœtus, & non sinas  
 totum mundum ante tuum aduentum fieri  
 blasphemum. Eris ista sapientia æternæ vitæ,  
 in qua tu coram nobis causas ostendes, cur hoc  
 modo restitutionem generis humani fieri oport-  
 tuerit, & quomodo Deus λόγος massam huma-  
 nam sibi copulauerit. Iuua nos, ut in hac vita  
 discamus elementa, & vera fide agglutinemur  
 per Spiritum sanctum tuæ massæ, quam assum-  
 sisti ex sanctificata carne virginis. Et sicut ean-  
 dem tuam naturam gestas & viuificas, sic fac  
 nos surculos insertos tibi arbori vitæ, ut viti fru-  
 ctiferæ, & perfundito nos simili luce, vita &  
 gloria. Sis tu I E S U S Saluator noster merito  
 & efficacia tui. Collocavit te æternus Pater in  
 thronum David, ut sis caput Ecclesiæ perfici-  
 ens omnia in omnibus, dator bonorum & be-  
 nedictio



benedictionis promissæ Davidi. Regnas igitur in  
 hac vita per ministerium, colligens tibi æter-  
 nam Ecclesiam, & reprimens potenti manu om-  
 nes hostes tuos. Sedes exaltatus in luce &  
 gloria imperuestigabili ad dexteram æterni Pa-  
 tris tui, semper interpellans pro nobis, donec  
 Ecclesiam resuscitatam sursum ad te adduces,  
 modum regni mutabis, & in omni æternitate  
 fulgebis in electis visibiliter & immediatè: Su-  
 mus os de ossibus tuis, & caro de tua carne Fili  
 Dei. Non attulisti carnem tuam de cælo, nec es  
 genita est de essentia tui Patris: sed verè induisti  
 carnem ex semine Abrahamæ, ex massa quam Spi-  
 ritus sanctus in aluo virginis sanctificavit & ab  
 omni labe peccati repurgavit. Hanc naturam  
 copulavit sibi æterno fœdere λόγος, & eam or-  
 nat excellenti gloria, quam tempore humilia-  
 tionis non ostendisti. Verè igitur Maria Deum  
 peperit, personam, in qua unitæ sunt duæ natu-  
 ræ, λόγος & natura assumpta, sine confusione,  
 perinde sicut anima & corpus in nobis homi-  
 nibus copulantur. Accedimus igitur ad te Me-  
 diatorem Deum & hominem, intuentes tuam  
 promissionem, inuocamus te vera fide: Mise-  
 rere nostri, lava nos tuo cruore, & fac nos mem-  
 bra tui corporis & naturæ. Nemo vnquam car-  
 nem suam odio habuit: Fac vt nos tibi adhæ-  
 reamus per eundem Spiritum, & abs te hauri-  
 mus succum instillantem nostræ naturæ vitam  
 & gloriam æternam, Amen.

DOMI-



DOMINICA CHRISTI ACER-  
RIME CONTENDENTIS CVM IVD-  
æis de persona & officio suo, Ioh. 8.

TIBI FILI DEI hæc gloriosa vox verè  
& iustè congruit: Quis me arguit de peccato?  
Non diabolus, non totum regnum diaboli te  
potest arguere, qui es viuens & vera imago tui  
Patris, & in ministerio tuæ missionis Ionas æter-  
nam veritatem tui Patris, eamque in cordibus  
credentium tuo Spiritu obsignas. Rege nos  
eodem tuo Spiritu, vt isti veritati tuæ assentia-  
mur, & te loquente corda nostra non obdure-  
mus. Tu es ex DEO lumen & splendor gloriæ  
paternæ, & in genere humano perpetuò tibi  
cætum aliquem colligis, cui similem lucem &  
bona cœlestia donas. Tu nos diuino illi agminì  
aggregato, quod per te DEO adiungitur, &  
procul nos segrega ab impia caterua, quæ est ex  
diabolo, qui corda impiorum possidet, & ex-  
tinctis etiam naturalibus potentijs eos in tristia  
scelera rapit. Non negasti te esse Samaritanum,  
qui vis ex gentibus etiam tibi colligere Ecclesi-  
am, & qui fuisti vetus ciuis Samariæ, quando  
in campis illis sanctum tuum exulem Iacob, o-  
stensa illi diuina scala glutinante cœlum cum  
terra, consolatus es. Et tu optime Samaritane  
sana etiam vulnera languentis tuæ Ecclesiæ, si-  
cut saucio viatori opem tulisti. Reprime dia-  
bolum spargentem blasphemias contra tuam  
doctrinam. Tu quaris gloriam æterni tui patris,  
redu-



reducens hominem ad D E V M, instaurans glo-  
 riam amissam per peccatum: & restituens in  
 conuersis imaginem cœlestis gloriæ. Ille idem  
 Pater tuus abijciat in æternos cruciatus omnes,  
 qui tuum beneficium aspernantur, & tibi su-  
 perbè contradicunt. Tu sonas verba vitæ, eri-  
 gens mœsta corda ex paucibus inferorum, &  
 perfundens ea salutari læticia æternæ vitæ, &  
 morientes recreas suauis conspectu tui, & æterni  
 Patris tui, vt cum ingenti desiderio appetant  
 migrationem & consuetudinem tuam æternam.  
 Accendito etiam in nostris cordibus initium  
 vitæ perpetuæ, vt eluctati ex morte, gustemus  
 dulcedinem tuæ præsentis. Ornat te vera &  
 immortalis gloria æternus Pater tuus, vt in tuo  
 officio ornes & vngas consortes tuos. Tu in-  
 gressus in sancta sanctorum, nouisti Patrem tu-  
 um perfectè, intelligis arcanum pectus tui Pa-  
 tris, & secundum illud immutas tua membra,  
 satisfacis ipsius decreto & sermoni in tuo mini-  
 stero. Age illud idem decretum etiam nostræ  
 animæ inprime, & extingue in nobis omnia  
 mendacia hostis tui diaboli. Excellenti læticia  
 gestijt præclarum Ecclesiæ tuæ lumen, quando  
 edita promissione de salutari semine, liberatus  
 fuit à caligine idolatrica, sanctæ carnis tuæ pater  
 Abraham, & sensit in suo corde tuam præsen-  
 tiam, accendentem nouam vitam & iusticiam,  
 & quando hospes ipsius profecturus ad pœnas  
 impiæ gentis Sodomiticæ visibili specie dulcif-  
 simos cum ipso miscuisti sermones. Age nobis  
 etiam



etiam diem tuum, iusticiæ solem, tuam lucem  
 infundito, vt depulsis tenebris cum vero animi  
 gaudio ad te suspiciamus. Luceat nobis ille be-  
 neficus dies tunc, quando tenebræ mortis no-  
 stram vitam oppriment, vt anima nostra intu-  
 ens tuam lucem vera cum læticia gestiens ad te  
 traducatur. Tu fuisti ante Abraham natum  
 λόγος καὶ εἰκὼν æterni Patris tui, & hanc no-  
 stram massam ex semine Abrahæ assumpsisti, vt  
 nos tuæ gloriæ faceres participes. Mane nobis  
 cum Domine in hac ærumnosa vita, non rece-  
 das à nobis, non abscondas tuam faciem à no-  
 bis, prohibe vt non habeamus templum sine  
 Iesu, sed perpetuò fruamur tuo conspectu &  
 tua doctrina, monstrante vltimum fidei fru-  
 ctum, & æternam vitam, A M E N.

**DOMINICA CHRISTI**  
**INGREDIENTIS CVM TRIUM-**  
**PHO** in sanctam urbem, inter ramos palmarum  
 & olearum, inter faustissimas populi accla-  
 mationes, Matth. 21.

**TIBI FILI DEI** Domine Iesu Christe,  
 qui es rex Ecclesiæ tuæ, gratias agimus, quod  
 in medio inimicorum tuorum dominaris, & tu-  
 um regnum aduersus omnem potentiam Dia-  
 bolorum & hominum defendis & propagas:  
 Non quidem gloria regni tui oculos hominum  
 ferit, sicut victoriæ regum mundanorum per-  
 currentium cum horribili fragore orbem ter-  
 rarum



rarum, cum tu missus esses ad passionem, & ornatus filix regis intus sit: tamen etiam visibilia testimonia & spectacula tuæ presentix conspicui voluisti, inter quæ hoc præcipuum fuit, quod faustissimo illo die, circumfusa ingenti multitudine & comitantibus discipulis tuis tanquam victor Hierosolymam paulò ante festum ingressus es. Fac nos ciues beati tui regni, cuius non erit finis, scribe nomina nostra in tuum librum, imo in tuam sanctam manum, ut fiamus socij bonorum, quæ sunt in tua ciuitate. Iuua ut quam semel tibi dedimus fidem, nunquam fallamus, sed in fide & bona conscientia perseueremus in curriculo inchoato per tuam gratiam. Tu collocatus es super asinam domitam & pullum indomitum: Colligis tibi immensa bonitate Ecclesiam non solum ex gente Iudaica circumscripta legibus & ritibus discipline & ceremoniarum, sed etiam ex sordida & effera colluue ethnica. Iuua nos ut pro tanto beneficio tibi simus grati, & te gubernatorem, qui nostram massam induis, & te nobis communicas, læti recipiamus. O beatam animam in qua tu sedes dux, & rector omnium motuum. Tibi præferimus ramos palmarum & olearum. Tu vincis diabolum, peccatum & mortem: Eripis nos ex tyrannide inferorum, & reddis lætam pacem acquiescentem in te & æterno Patre tuo. Tu es rex iustus merito & efficacia, Satisfecisti iusticiæ æterni Patris tui in passione: reconcilias nos Deo & inchoas in nobis initia

K

æternæ



æternæ iusticiæ. Tu in sanguine testamenti tui  
 educis vinctos tuos ex tristi lacu. Inijisti pa-  
 ctum & fœdus inter Deum & homines lapsos  
 in æternam mortem, fudisti tuum sanguinem  
 ad confirmationem illius noui & æterni fœde-  
 ris, & tuos vinctos confugientes ad te inter pa-  
 uores mortis eripis ex faucibus Orci, vbi sunt  
 terrores inenarrabiles sine consolatione, in ab-  
 iectiōne æternæ à beato conspectu tuo. Serua  
 nos in isto tuo fœdere, rumpe catenas diaboli  
 & transferto nos in tuum agmen. Tu nos or-  
 nas illustri vestimento iusticiæ tuæ: Dato et-  
 iam, vt, volentes, tempore confessionis exua-  
 mus vestimenta circumdata nobis in prima cre-  
 atione, cutem & carnem nostram: fundamus  
 pro te sanguinem, & à te nunquam deficiamus.  
 O benedicte Rex qui venis in nomine Domi-  
 ni, qui missus es ex arcano decreto diuinitatis,  
 cuius cursus à D E O regitur, qui aboles maledi-  
 ctionem peccati, cui subiecta fuit hæc natura, &  
 reddis benedictionem, reconciliationem cum  
 Deo, inchoationem nouæ & æternæ integri-  
 tatis: adesto etiam in hac vltima mundi ætate tuo  
 regno: fortuna illud tua diuina ope: fac vt  
 multi ad te conuertantur, adipiscantur tuam  
 benedictionem, & deinceps in regno nouo, vbi  
 erit D E V S omnia in omnibus, læti tecum vi-  
 uant, A M E N.

D I E S A L V B E R R I M A E C O E-  
 N A E C H R I S T I, I. COE. II.

F I L I



**F I L I I D E I** Domine Iesu Christe, tu in-  
 grediens iter ad tristissimum agonem paulò an-  
 tequam asperrima lucta & totus oceanus dolo-  
 ris ex sensu iræ Dei aduersus peccata hominum  
 incurrens in tuam animam, tibi *ἁγόμενος* sangui-  
 ne expressit, assidens cum tuis dulcibus audito-  
 ribus ad conuiuium, tamen dixisti: Desiderio  
 desideravi manducare vobiscum hoc Pascha an-  
 tequam patiar. Vero cum desiderio esurijsti no-  
 stram salutem, & suauiter cum recordatione vesce-  
 baris ex agno, qui te significabat, & expressisti  
 imaginem illius conuiuij, quando tui viatores  
 Israëlita, te duce, emigraturi ex Aegypto, quib.  
 tunc assedisti & affuisti, mirabile epulum ce-  
 lebrarunt. Peracta deinde cœna veteris fœde-  
 ris, exorsus es nouum conuiuium: instituisti ri-  
 tum noui fœderis, testificantem de tua præsen-  
 tia & beneficijs in Ecclesia. Excita tu nostras  
 mentes ad veram gratitudinem, vt etiam simili  
 cum desiderio tuam mensam expetamus, & ali-  
 menta æternæ vitæ auidè quæramus. Depelle à  
 nobis fastidia profanorum & curiosorum ho-  
 minum, qui tecum litigant, & ordinem abs te  
 sancitum aspernantur. Emenda etiam abusus  
 & profanationes sacræ tuæ mensæ, quæ horribi-  
 li spurcitie deformata est, propter quam orbis  
 terrarum pœnas luit. Tua sapientia nostræ in-  
 firmitati mederis & visibilibus signis sacramen-  
 torum nostram fidem tanquam certo pignore  
 confirmas. Verè tuis sacramentis præsens es,  
 & per ea in credentibus efficax vis esse secun-

K a                      duna



dum tuam promissionem. Benedicimus panem  
 & vino ex tuo mandato, ut in vero usu sint cor-  
 pus & sanguis tuus. Non remouemus sanctissi-  
 mam carnem tuam à cena, sed tu verè & sub-  
 stantialiter præsens es, testificans in hac sumtio-  
 ne, te assumisse humanam naturam propter  
 nos, ut nos tuæ massæ inferas, gesses & serues  
 ad vitam æternam, & dato tuo spiritu qui effun-  
 ditur ex tuo & æterni Patris pectore, similia in  
 nobis efficias, qualia λογος in tua natura assum-  
 ta efficit. Hæc est vita æterna, quæ in hac vita  
 inchoatur, qua anima renouatur ad vitam æter-  
 nam. Hic benedictus cibus verè testatur, etiam  
 corpora nostra, quæ contactu tuæ viuificæ car-  
 nis perfunduntur, reuictura ad immortalitatem  
 & perpetuam gloriam. Hanc lucem tu in no-  
 bis in hac salutari sumtione alito & augeto Fili  
 D E I. Fac ut hæc sumta & hausta faciant, ut tu  
 sis in nobis & nos in te. Iuuato nos tuos com-  
 mensales ô suauissime Paterfamiliâs, ut dignè  
 vescamur tuo cibo, exploremus nostram ani-  
 mam seria & non simulata conuersione, non si-  
 mus hypocritæ, non profana securitate te & tua  
 sacramenta ludamus, facito ut verè discernamus  
 tuum corpus & sanguinem à profano cibo, non  
 edamus corpus D O M I N I contra Dominum:  
 Da ut in vera & non simulata fide hoc sanctum  
 fœdus tecum paciscamur, ut semper in te ma-  
 neamus & tu in nobis. Tuo etiam spiritu, qui  
 est vinculum dilectionis in hac communi &  
 publica mensa, copula nos cum reliquis mem-  
 bris



bris Ecclesie tuæ, fac ut omnes qui vescimur de  
 vno pane, simus vnum corpus, agglutinati ti-  
 bi, qui es caput perficiens omnia in omnibus.  
 Hanc dulcissimam *κοινωνίαν* tecum, ut cum ca-  
 pite nostro, & mutuam, inter membra eiusdem  
 corporis, nunquam turbet hostis tuus diabolus.  
 Testetur etiam hæc suavissima *κατάκλησις* nobis de  
 tota summa tuæ doctrinæ, quæ sonat in Eccle-  
 sia: exuscitet nos ad gratiarum actionem pro  
 tuis beneficijs, augeat invocationem petentem  
 bona æterna, & defensionem Ecclesie in hac vi-  
 ta. Seruabitur hic ritus donec tu venies ad iu-  
 dicium fulgens in nubibus. Seruabis igitur ali-  
 qua hospitia doctrinæ & piorum rituum, nec  
 fines fieri infinitam vastitatem. Sit etiam hæc  
 salutaris actio solum nostræ professionis,  
 aduersus diabolum & omnia organa eius. Ob-  
 signa in nobis tuo spiritu hunc sanum & sin-  
 cerum intellectum, non sinas nos rursus oppri-  
 mi tenebris idolatricis stabilientibus retros ab-  
 usus in oblatione, repositione, circumgestatio-  
 ne & adoratione consecrati panis extra vsum.  
 Nulla syllaba est de istis spectaculis in tua insti-  
 tutione: Reprime igitur diabolum afficientem  
 contumelia tuam ordinationem. Et prius com-  
 muni incendio hanc mundi machinam deleas,  
 quam sinas nostras Ecclesias denuo inuolui tam  
 horribili superstitione & idolatriæ caligine. Mi-  
 tiga nobis pœnas, morbos, contagia, bella, quæ  
 propter hanc profanationem genus humanum  
 opprimunt. Parcat Angelus percutiens his,

K § qui



qui gemunt propter idola. Et nos tuos conuiuas pascere & satia tua viuifica presentia: habitato in nobis: sis in nobis efficax, acue in nobis commemorationem tuorum beneficiorum, & tandem resuscitatis nobis ex morte da locum in tua mensa, vbi nouum succum in regno tui Patris gustabimus, A M E N.

EX PRECATIONE CHRISTI  
ARDENTISSIMA RECITATA  
ante agonem.

N V L L A fuit ardentior vox audita neque in cælo neque in terra, quàm tua precatio F I L I D E I, quàm ante agonem tuum difficillimum audientibus infirmis tuis discipulis clara voce pronunciaſti, effundens omnem impetum dilectionis tuæ erga Ecclesiam, eamq; cum sollicitudine & φιλοσοφία inenarrabili æterno Patri tuo commendans. Accende nostra inertia corda ad tantarum rerum considerationem, quæ longè supra & extra omnem conspectum creaturarum sunt positæ. Tuo diuino spiritu quæsumus ea quæ petijſti in nobis effice & stabilito. Tu æterne & beate Pontifex abiiecisti te infra omnes angelos & homines: non vsurpasti tuam diuinam potentiam: mirando modo λόγος quieuit, vt humana natura posset crucifigi & mori. Tibi est data omnis caro propter tuam victimam & obœdientiam: placata est ira æterni Patris & datur reconciliatio omnibus  
qui



qui fide ad te confugiunt. Inserito nos tuo cœtui, qui in hac vita vsq; ad resurrectionem mortuorum colligitur, in qua est inchoatio nouæ & æternæ vitæ, quæ est vera agnitio & vera noticia, de essentia & voluntate veri Dei, qui se paterfecit misso Filio, & per eum recipit in gratiam conuersos, pronunciat eos iustos & implet illorum animas pace & læticia incompræhensibili. Abducito nos à mundo, à parte generis humani damnata. Iuua vt tuum sermonem seruemus, simus custodes doctrinæ tuæ in fide & bona conscientia. Ascendisti in cœlum & exaltata est tua natura humana in lucem & gloriam diuinam, vt sis perpetuò sacerdos & rex noster. Tu intercede pro nobis, neque nos numeres in cæteruam eorum, quorum nomen non assumis per labia tua. Fac vt firmiter credamus te exiisse ab æterno Patre redemptorem & saluatorem nostrum. Iuua vt in nobis glorificeris vera agnitione & inuocatione tui. Non fruimur conspectu tuo visibili, sumus in mundo cincti hostibus atrocissimis: Serua igitur nos in vera sententia. Da vt tuum gaudium sit perfectum, lætemur ex gustu diuinæ tuæ præsentia in anima, quæ vincat omnes tentationes diaboli & omnes calamitates. Non sumus ex mundo, sed iurauimus in tuum nomen, quod princeps mundi oppugnat. Custodi nos ab insultibus illius astutissimi spiritus: & fac vt in ipso mundo, quimersus est in malum, mente simus apud te. Sanctifica nos in veritate æterni Patris tui.



Sermo tuus est veritas. Nostra natura est res  
 & immunda, sed tu per verbum tuum illabere  
 in nostra corda, abluere nos tuo cruore, & inchoa-  
 to nouam & sanctam vitam, sanctos motus tibi  
 placentes & congruentes ad normam tui verbi  
 patefacti in Ecclesia, secundum quod fidem &  
 obœdientiam nostram vis gubernari. Tu sancti-  
 ficasti & obtulisti te pro tua Ecclesia, & vnica  
 oblatione meruisti perpetuam reconciliationem.  
 Ita congruebat satisfieri iusticiæ æterni Patris  
 tui per λύτρον, & latroni diabolo eripi hominem  
 captum sine precio, eumque in æternos crucia-  
 tus abijci. Respice ad nos miseros & imbecilles,  
 qui sumus infirmi discipuli & auditores tuo-  
 rum Apostolorum. Tu hanc precationem ex-  
 orsus es post primum decretum, editum de re-  
 stitutione primorum hominum, & vna atque  
 eadem tua vox est vsque ad consummationem  
 Ecclesiæ. Include igitur nos squallidos etiam  
 homines in illas tuas diuinas preces, & iuuua vt  
 in omni luctu, in cruciatibus conscientie, in con-  
 sternatione mortis hanc sacram anchoram ap-  
 prehendamus, quod nominatim pro nobis mi-  
 seris precatu es. Te exaudit æternus Pater pro-  
 pter obœdientiam tuam, & verè dabit ea quæ  
 postulasti pro nobis. Facito tu æterne F I L I  
 D E I, vt tua Ecclesia sit concors: reprime dia-  
 bolorum furores, qui serunt dissidia turbantia  
 fidem & inuocationem hominum, & tuam glo-  
 riam contumelia afficiunt. Maneat pius con-  
 sensus in Ecclesia. Sit vna vox fidei, vna vox  
 inuo-



inuocationis, glorificans te & æternum Patrem  
 tuum: sint omnium nostrum corda per idem  
 vinculum Spiritus copulata per te, ad æternum  
 Patrem tuum, simus coagmentati ad vnum, vt  
 nostra anima perpetuò sit gratum templum di-  
 uinitatis, extinctis omnibus motibus pugnan-  
 tibus cum tua voluntate, vt mundus & totum  
 regnum diaboli cognoscat, verè Ecclesiam tu-  
 am abs te diligi, abs te protegi & seruari. Sonui-  
 sti tu Fili Dei ex abundantia amoris, iam instan-  
 te tua lucta, vocem, quam nostra angusta corda  
 nullo modo capiunt, petis vt dilectio qua æter-  
 nus Pater te diligit in tuis sit. O sapientiam &  
 amorem inæstimabilem. Vis vt æternus Pater  
 tuus, creator cœli & terræ, ex cuius nutu hæc  
 mundi machina pendet, miserum latronem ex-  
 pirantem in tristissimo supplicio, miseram mu-  
 lierem peccatricem prouolutam ad tuos pedes,  
 sic diligat sicut te diligit, qui es imago ipsius  
 substantialis & splendor gloriæ ipsius. Non igi-  
 tur nos desereres, non abijcies nos, etiam cum  
 tota rerum natura videtur nobiscum pugnare.  
 Hoc tuo verbo freri, læti expectamus salutares  
 euentus. Tu nos liberatos ex malis huius mise-  
 ræ vitæ circumdabis nouo & glorioso corpore,  
 collocabis nos in solium tui regni, vt tecum si-  
 mus in omni æternitate. Hanc fidem & lætam  
 spem tu in nobis alito, augeto, confirmato, vt  
 cursum nostrum consummemus sine labe, &  
 dissoluti ad te in perpetuam beatitudinem emi-  
 gremus, A M E N.

K 5

DIE



**DIE CHRISTI EXPIRANTIS**  
**IN CRUCE INTER DOLORES**  
 scœuissimos, gemente tota re-  
 rum natura.

*Mors tua Christe mihi vita est, victoria, regnũ,  
 Labe mea morior, sanguine viuo tuo.*

**DOMINE IESV CHRISTE**, Fili Dei  
 viui, tibi pio cordis affectu & clara voce grati-  
 as agimus, quod factus intercessor pro genere  
 humano, horribilem iram æterni Patris contra  
 peccata nostra in te deriuasti, & factus es victi-  
 ma, vt placata ira DEI, ornemur iusticia & vita  
 perpetua. Tu pendens ex alta trabe, factus male-  
 dictũ a Deo, oppressus consternatione & dolo-  
 re in animo, intolerabili omni creaturæ, luctans  
 cum sensu iræ DEI, quæ est ignis consumens,  
 stillans cruorem ex toto corpore, non solum  
 quem laceratio membrorum euocauit, sed et-  
 iam quem resolutio spirituum natura fracta, lan-  
 guente propter ingentes cruciatus cordis, ceu  
 nihil amplius gubernante aut retinente humo-  
 res & sanguinem, eduxit: Tu inter illa tormen-  
 ta sonuisti voces, quas tibi partim tuus scœuis-  
 simus dolor, partim ineffabilis misericordia ex-  
 pressit. Doce nos tua diuina sapientia, vt illas re-  
 uerenter audiamus, easq; intimæ nostræ animæ  
 diligenter inscribamus. Secesserat genus huma-  
 nũ te patiente in duo agmina. Tu caput Ecclesiæ  
 tuæ, turbæ mœstissimæ, pendes in cruce iam iam  
 expiraturus. Sub cruce stat tua dulcissima mater,  
 pauçæ



pauca piæ fœminæ, Iohannes : Infirmi tui disci-  
 puli lugentes propter furorem Iudæorum , ab-  
 dunt se : Nicodemus , Ioseph senator , tacent  
 & dolent de rabie suæ gentis. Impij Iudæi, im-  
 pij satellites Pilati & Herodis te capiunt, ludunt,  
 velant tibi oculos, faciem tuam cædunt pugnis,  
 fodiunt te , ludunt de tuis vestibus. Epicurei &  
 tyranni pontifices & parafiti ipsorum, sarcasms  
 tuos cruciatus exagitant , & in sinum plaudunt,  
 quod nunc videatur liberè dominaturus diabo-  
 lus, princeps huius colluiei Interea multitudo  
 Ethnica , fermè in toto terrarum orbe celebrat  
 turpissima & spurcissima bacchanalia ad tui no-  
 minis deformationem. Istam dissimilem speci-  
 em tu intueris , qui omnia in cœlo & in terra  
 cernis, verè mitis & humilis corde, incipis pro-  
 nunciare mirabilem precationem : Pater remit-  
 te illis quia nesciunt quid faciunt. Hæc sunt ver-  
 ba tui sacerdotij. Tu qui es summus Pontifex  
 conspersus sanguine proprio, ingrediens in san-  
 cta sanctorum , tangis pectus Patris tui & arca-  
 num ipsius consilium exploras. Precaris non  
 solum pro infirmis tuis auditoribus vt confir-  
 mentur : sed etiam pro hostibus te interficien-  
 tibus , si modo volunt redire ad pœnitentiam,  
 imo pro toto genere humano & nominatim  
 pro singulis & pijs omnibus credituris in tuum  
 nomen. Includimus nos benefice Pontifex in  
 has tuas generales preces ante agonem recita-  
 tas , repetitas in cruce , imo pronunciatas ab  
 exordio mundi, & quas , stans ad dexteram Pa-  
 tris



tris semper interpellans pro nobis nunc etiam  
sonas. Tu facito vt non inueniamur in nume-  
ro illorum in quos intrauit diabolus, qui te affi-  
ciunt contumelia, qui tua beneficia spernunt, &  
præcipites in æternum exitium delabuntur. Au-  
ge in nobis fidem & veram agnitionem tui, vt  
æternus Pater placatus propter tuum sacrifici-  
um remittat nobis omnia peccata, & nos an-  
numeret tuæ hæreditati, quæ pulcra est in oculo  
suis.

Stat sub tua cruce mœstissima sed heroica  
mater tua, cum sorore sua & alijs pijs fœminis,  
cum discipulo, quem tu diligebas. Simus nos et-  
iam te iuuante ciues illius tui cœtus: Fulget in  
tua matre lumen fidei & robur inimitabile. In-  
tuetur illa spectacula in te Filio suo, quæ huma-  
no pectori in hac vita sunt tristissima. Vidit fu-  
rores hostium & tuos cruciatus inenarrabiles:  
tamen statuit te manantem sanguine, desertum  
ab omnibus rebus, morientem in terribili sup-  
plicio, esse natura **D E V M**, te reuicturum & re-  
gnaturum, vt sis in perpetuum victor mortis,  
diaboli, & omnium hostium tuorū. Tu Fili Dei  
etiam scintillam similē fidei in nobis accendas:  
Dato vt cum tuis electis non pudeat nos stare  
sub tua cruce: Et sicut tu ex φιλοσοφία dulcis-  
sima motus misericordia inter dolores tuos an-  
xiam tuam matrem affatus & consolatus es: Ita  
nos etiam & ærumnosam tuam Ecclesiam in ca-  
laminibus alloquere, tua suavi voce, eamque  
consolare tua præsentia. Commendas Aposto-  
lo ma-



lo matrem tuam: Fac vt verè diligamus tuam Ecclesiam, veram & dulcem matrem, & singuli eam foueamus pia dilectione & omnibus officijs: Regito præcipuè doctores vt illi ament matrem, tueantur concordiam doctrinæ, non ferant dissidia, scandala impediencia fidem & inuocationem in auditoribus.

Pendent ad tua latera duo latrones, qui plectantur propter sua scelera, ex quibus alter animum inter blasphemias exhalat, alter in media morte ad te conuertitur. Pendet totum genus humanum oppressum tristissimis pœnis propter peccata. Vagantur calamitates infinitæ in hac misera vita, circumferimus vtres impletos sordibus & ærumnis, & verè mors est in olla: & tamen tanta est rabies diabolorum, vt multorum corda ita captiua teneant, vt in ipso interitu suo seurrentur, tibi maledicant & in æternum pereant. Sed tu facito vt imitemur conuersionem latronis pij, qui paulò ante emigrationem suam motus euidentibus signis testantibus de tua omnipotentia & misericordia, supplex veniam petit, eamque præclarè adipiscitur. Imitemur nos etiam, te dante, huius viri salutarem pœnitentiam, dolores de peccato, illustrem fidem, concionantem de beneficijs Messix, ex alto suggestu, racentibus tuis discipulis, confessionem, & alia verè bona opera ipsius. Affirmur nos etiam te misericors Domine: Memen- to nostri Domine. Tu sedes in regno Patris tui, nos sumus in miserijs mundi: sed tu ne obliuif-  
caris



earis nostri. Inchoa in nobis regnum tuum in hac vita, & in omni lucta conscientiae nostrae, praecipue verò in mortis agone pronuncia nobis istam dulcem absolutionem: Hodie mecum eris in paradyso. Monstra nobis paradysum, ut discessuri non erremus, neque simus sine hospitio. Aperi nostris animabus portas paradyfi, colloca eas in statum immortalitatis & statum beatitudinis, vbi tuus pater in clara luce conspicitur cum omnibus beatis angelis & hominibus.

Interea dum Epithasis tuorum certaminum ingruit, edis querelam non solum mirabiliter patheticam, sed planè talè, qualem nullius creaturae mens cepit: Deus, Deus meus quare me dereliquisti? Non fuit à massa tua humana separatus λόγος, qui quod semel assumpsit, nunquam reliquit, neque desinis vnquam vnum esse cum aeterno Patre tuo: sed erat ista hora humiliationis, qua admirando & arcano modo λόγος quieuit, voluit istam obcedientiam, non repulit Iudæos crucifigentes & necantes Christum: Imo quieuit, ut fluctus iræ Dei aduersus peccata hominum ita in Christum incurrerent, ut luctaretur cum summis doloribus, qui tanti erant, & inciderent aliqua momenta, quibus non sentiebat consolationem. Sustentauit tamen humanam naturam λόγος, ad quem passionis Christi, cum propria natura humana sua pateretur, referebantur, & ideo sustentabat, ut esset æquiualens precium pro peccato hominum, & ut alij homines pij, qui in suis supplicijs visi-



visi sunt fortiores, tantos dolores non sustine-  
 rent. Nam percuti ab hominibus Deo conso-  
 lante, tolerabile est, & tunc potest hoc accidere :  
 Ibat ouans animis & spe sua damna leuabat :  
 Sed percuti à Deo non est tolerabile creaturæ  
 ad salutem. Tu igitur **FILII DEI** in ira mi-  
 sericordiæ tuæ recorderis : sis vmbra culum no-  
 strum, ne ira æterni Patris tui nos absorbeat.  
 Etiam exiguus gustus iræ **DEI** conterit ossa hu-  
 mana sicut leo. Ideo tu addidisti paulò post si-  
 milem querelam : Sitio. Languēfacta erat a-  
 nima tua dolorum magnitudine. Resoluti erant  
 spiritus cordis ex ingenti mœsticia, arescebant  
 viscera tua, & in illis nulla erat rigatio. Verè  
 igitur sitiebas efficaciam tui Patris & consola-  
 tionem, & foris etiam languidæ naturæ recrea-  
 tionem. **O IESU CHRISTE** qui es fons  
 vitæ æternæ, qui distribuis aquam quæ extin-  
 guit omnem sitim, ex cuius ventre manat pu-  
 teus vitæ, non sinas nos experiri tam tristem si-  
 tim, qualem patiebatur diues & *ἄσπετος* epulo,  
 qui nullam impetrat rigationem. Adhæsit fau-  
 cibus meis lingua mea. Non est pax ossibus  
 meis. Domine in iudicio, non in furore corri-  
 pe me, ne ad nihilum redigas me : si iniquitates  
 obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit ?  
 Clamant tui sancti in suo luctu : Tu igitur ne  
 accendas totam iram tuam. Succo tui verbi &  
 dulci rigatione tui spiritus ne desinas sustenta-  
 re nostram imbecillem animam pugnante[m]  
 cum tuo iudicio.

Tibi



Tibi æternus Pater præsentiam & consolationem suam ostendit propter nos, cum paulò post iam lætior dixisti, **C O N S U M M A T U M** est. Egisti gratias æterno Patri tuo pro suo auxilio, qui te sustentavit ut impleretur sacrificium profuturum electis ad finem usque mundi. Tu sanctissime Pontifex nobis infigito hanc divinam clausulam, hoc illustre epiphonema tui sacrificij, ut verè statuamus tuo sacrificio nobis esse impetratam remissionem peccatorum & æternam salutem.

Tu deinde eluctatus ex omnibus paucibus, magna voce clamas: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Da ut nos eandem tuam vocem in nostra migratione exprimamus. Sentiamus præsentiam tui Patris, qui nobis assit placatus propter te, sciamus animas nostras non extinguere cum corporibus, non evanescere in auras, non accidat nobis hoc: Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras. Non ludamus ut Epicurei, Animula vagula, blandula, pallidula, rigida, nudula, quæ nunc abis in loca? Tu parasti nobis locum **F I L I D E I** amplum & iucundum: In domo Patris tui sunt multæ mansiones, nulla timemus tormenta. Liberasti nos à doloribus inferorum, Nullam tuis electis incendis purgatorium. Tuus Pater suis beneficiis vlnis, sua propitia manu nostras animas amplectitur, recondit eas in sinu Abrahæ, implet eas pace, luce & læticia inenarrabili donec etiam corpora resuscitata denuo cum illis vniat ad æternam



æternam vitam. Hac fide prælucente fac vt etiam spiritum emittamus & perpetuò simus tecum, A M E N.

DIE FAVSTISSIMO CHRISTIANI PASCHATIS.

DE tua admiranda victoria, resurrectione ex morte & glorioso regno FILI DEI, dictum est: In die illa stabit radix Iesse, vt sit signum populis, ad eum gentes confugient, & requies eius erit gloria. Tu es felicissima propago Dauidica: assumisti naturam humanam ex stirpe Dauidis: Sed fuisti tempore humiliationis tue virgultum in terra sitiendi, eximia & diuina plantula, sed oppressa ærumnis: exaruit anima tua concussa ingentibus procellis iræ Dei aduersus peccata hominum. Verùm non fuit suffocata illa pulcherrima radix, quam diuina natura sustentabat. Stas eluctans ex media morte & dominans diuina potentia, vt tuum vexillum erigas, & tuos commilitones ex summis malis ereptos transferas in tuum regnum, quod prorsus dissimile est triumphis & pompæ regum politicorum. Omnem fastum, potentiam & gloriam humanam mors claudit: Sed tua mors & requies est gloriosa: Tuum regnum & gloria post mortem incipit. O quam arcana & admiranda fuit tua requies Iesu Christe nate Dei. Fuit homo conditus vt esset angustum & sanctum templum, in quo esset perpetuum Sabbathum, in quo di-

L uinitas



uinitatis quiesceret, implens hominem commu-  
 nicatione suorum bonorum, & lætans illa ima-  
 gine sua. Sed hanc quietem & læticiam turba-  
 uit hostis Dei diabolus, qui templum & Sabba-  
 tum profanauit & horribilem ἀλαζία & profa-  
 nitatem inuexit. Sed tu FILI DEI missus  
 es ex sinu æterni Patris tui, vt hoc Sabbatum  
 denuo tuo sanguine sancires. Ideo mirando  
 modo die magni Sabbati legalis tua massa hu-  
 mana, à qua anima verè fuit separata per mor-  
 tem, quieuit in sepulcro, & λόγος, qui illam i-  
 psam naturam ne tunc quidem deseruit, carnem  
 suam illo triduo non viuificauit, donec comple-  
 to ordine Redemptionis reuixisti victor ad no-  
 num regnum, & reddis æternum Sabbatum &  
 quietem omnibus ad te confugientibus. Tu  
 FILI DEI nos etiam squallidos & immun-  
 dos voca ad tuum illud sanctissimum festum,  
 quod in hac vita te summo Pontifice præeunte  
 & præcinente inchoatur, & consummabitur in  
 omni æternitate, quando electi perpetuò co-  
 mitabuntur agnum quocunque ierit. Indue  
 nos veste festiua, vestimento iusticiæ tuæ & be-  
 nedictionis, vt celebremus festum in azymis  
 sinceritatis & veritatis.

Iam sunt anni 3075. (hoc anno 1566.) à  
 primo Paschate, quod Israëlitæ exituri ex Ac-  
 gypto celebrarunt. Tot annos continua serie  
 seruasti tuam Ecclesiam. Seruabis igitur eam  
 etiam deinceps, etsi magna diabolorum & ho-  
 minum est rabies. Vt autem illos tuos conui-  
 uas



uas & viatores vescentes agno texisti, & interea  
 migrans per Aegyptum omnia primogenita  
 iusto tuo iudicio iugulasti: Ita iuato nos, vt  
 te vero agno vescamur in vera fide: Et serua  
 nos inter istas fatales pœnas vltimæ ætatis mun-  
 di, quæ plectitur propter peccata horribiliter.  
 Reliqua cadauera fuerunt damnata & abiecta:  
 Sed tua victima grata est Deo, placat iram æter-  
 ni Patris, & manducatione tui, qui es agnus  
 Dei tollens peccata mundi, redditur credenti-  
 bus iusticia & vita. Resuscitat & viuificat tuam  
 massam humanam λόγος, vt nobis insertis tuæ  
 massæ per fidem, similis donetur vita, & vt mor-  
 tificetur in nobis corpus peccati, & tu in nobis  
 deinceps viuas & regnes. Sit igitur nobis etiam  
 tua requies gloriosa. Sumus formati ex gleba  
 terrestri & post peccatum corpora nostra sunt  
 destinata terræ: Impios etiam terra in perpetuū  
 retinebit, nec vnquam eos ex inferis ad tuam  
 sedem eniti sinet. Sed tu postquam tua viuifica  
 carne terram attigisti, fecisti eam leuem, ade-  
 misti illi omne pondus. Propter afflatum pri-  
 mi serpentis etiam cadauera humana sæpe in  
 phisicos serpentes mutantur. Et in sepulcro  
 impiorum longè tetrior est spurcicies spiritali-  
 um draconum & serpentum qui eos absorbue-  
 runt & in perpetua morte retinent. Verum tu  
 F I L I D E I sepulcra tuorum piorum facis dul-  
 cia cubilia, procul inde fogas omnem immun-  
 diciem diabolicam, collocas in illas cameras, in  
 illa cœmeteria, sanctos tuos vigiles castos tuos



angelos, qui ad tuum monumentum excubabant. Illi pias animas deducunt in paradysum, commendant nos manui & sinui tui Patris, beatos etiam cineres & exuias obseruant, quę fuerunt & rursus te redeunte, erunt Spiritus sancti domicilium. Nos etiam ornato ista tua diuina gloria verę agnitionis & inuocationis tui: adesto nobis in morte, suscipias migrantes animas nostras in tuam manum. Ostende illis tuam consolationem & læticiam, donec in resurrectione generis humani electos coronabis gloria consummata & nunquam desitura, quam ostendisti in spacio illorum quadraginta dierum, vbi fuit gustus & idea consuetudinis futurę in vita cęlesti. Nunquam fuit pulcrius seculum in genere humano quàm ver illius anni, quando tu reuixisti ex morte, & simul tecum magna agmina sanctorum resuscitata sunt, sicut scriptura aperte quidem hoc, sed breuiter propter homines profanos significat. Familiariter tecum assederunt apud tuam dulcissimam matrem & pios Apostolos sæpe totos dies sancti patres & sanctę matronę Eua, Sara, Rachel: fuerunt suauissima colloquia de generis humani miserijs, de tuo beneficio inenarrabili & gloria futurę vitę, cuius iam cernebatur exemplum. Tu nostra corda exuscita, vt vero desiderio hanc pulcherrimam societatem appetamus. Transferamus nos cogitatione hisce diebus ad illos sanctos collocutores, audiamus & discamus tuam sapientiam monstratam in verbo: In hac vita

tua



tua Ecclesia est in tenebris, est in miserijs. Homines sunt occupati in obseruatione externorum rituum, sicut piæ mulieres, volunt vngere tuum cadauer. Sape ærumnosa tua Ecclesia dulci tuo conspectu orbata esse videtur, & hoc triste sonat: Tulerunt Dominum meum & nescio quo posuerunt eum: Sed tu **FILII DEI** emenda in nobis naturalem caliginem, accende in nostra anima veros cultus interiores tibi placentes, & in afflictione te nobis ostendito, affra-  
re nos in calamitate hac suavi tua voce erigente mœstas animas: Noli flere, vt statuamus etiam in media morte te nobis esse præsentem, & reuiuiscences fruamur tua consuetudine in vita perpetua cum tuis electis, **A M E N.**

**DIE SECUNDO IN PASCHATE, LUC. 24.**

**DOMINE IESU CHRISTE** Fili Dei viui, tibi toto pectore gratias agimus pro tuis beneficijs erga Ecclesiam, quod hanc massam nostram induisti, factus in ea **ἀρχιεπ** pro peccatis hominum, & reuixisti ad nouam & æternam vitam, vt perpetuò sis sacerdos & rex noster, fac vt tuam misericordiam grati celebremus, & efficiamur socij illius cœtus, cui te ostendis & quem de tuis beneficijs erudis. Familiariter ambulasti cum infirmis viatoribus Emaitis, qui in illa sua caligine & timiditate inter illa sua somnia de regno politico tamen de tua persona &





officio querulo sermone inter se colloqueban-  
 tur, huic disputationi te miscuisti, ut eorum  
 infirmitati mederi possis. Nos etiam tuo spiri-  
 tu regis, ut amemus tuum verbum patefactum  
 Ecclesie. Sint tui Prophetæ, tui Apostoli nostri  
 domestici cohabitatores: habitet tuus sermo  
 inter nos in omni sapientia, cum vero intellectu  
 tuæ doctrinæ, eaque utamur ad ædificationem  
 piarum conscientiarum, ad eruditionem, ad  
 consolationem, ad accendendos pios motus in-  
 uocationis, timoris Dei & patientiæ, non ad  
 curiositatem, hypocrisin, & ad velandas impias  
 cupiditates. Tu sis efficax per ministerium &  
 flecte nostra corda ad veram assensionem. E-  
 menda stulticiam nostræ imbecillis animæ:  
 mollito tua præsentia duriciem nostri cordis.  
 Fac ut pectora nostra incensa tuo Spiritu arde-  
 ant sapientia & agnitione tuæ voluntatis, vera  
 cupiditate tuæ gloriæ, vera dilectione & omni-  
 bus sanctis motibus tibi placentibus. Tu es λό-  
 γος æterni tui Patris, tu sis etiam noster inter-  
 pres. Serua puritatem tuæ doctrinæ, foris in mi-  
 nisterio, & intus in corde loquere sapientiam  
 Euangelij prolatam per te ex sinu æterni Patris  
 tui, & traditam in scriptis Moyſis, Prophetarum  
 & Apostolorum. Iuuato ut te primum & vni-  
 cum scopum in sacris libris inueniamus & in-  
 tueamur: intelligamus illam arcanam sapienti-  
 am, ignotam omnibus creaturis de tua missio-  
 ne, humiliatione & exaltatione ad gloriosum  
 regnum. Spiritus sanctus ex tuis docilibus au-  
 ditori-



ditoribus sonuit hanc precationem accommo-  
 datam huic vltimæ & deliræ mundi senectæ, in  
 quam nos incidimus. Imitamur itaque toto  
 pectore hanc ardentem vocem: Mane nobis-  
 cum Domine, quia aduersperascit & inclinata  
 est dies. Te expirante in cruce Sol in medio  
 die subito contra ordinem naturæ, splendorem  
 suum amisit, & tristes tenebræ mundum op-  
 presserunt. Tremuit terra, dissilierunt scopuli,  
 tota natura luctum suum testante. Talis est fa-  
 cies postremi temporis, quod proximè tuum  
 aduentum ad iudicium antecedit. Oppressus  
 est mundus caligine densa & horribili, sunt con-  
 stituta contra tuam gloriam magna imperia,  
 quæ tibi audacissimè & impudenter maledicunt,  
 quæ tua beneficia, tuum cruorem tetra blasphe-  
 mia derident, & terribili potentia agnitionem  
 veram & inuocationem tui in genere humano  
 delere conantur. Impendet finis monarchis  
 & Rebuspublicis. Tristes in imperijs sunt con-  
 fusiones, graues feruntur & vagantur calamita-  
 tes, infinitæ pœnæ nostrorum peccatorum. Na-  
 tura rerum fessa & defatigata propter hominum  
 ingratitude & contemptum tui gemit vnâ  
 cum tuis electis, & desiderat liberationem ex  
 tantis malis. Audi igitur preces quas in cordi-  
 bus tuorum, Spiritus gemitibus inenarrabili-  
 bus ad te sonat. Mane nobiscum Domine, iam  
 venit vespera, ingruit caligo, mundus est Epicu-  
 reus: Sed tu qui es Sol iusticiæ, ne finas extingui  
 tuam lucem in nobis. Serua tuam veritatem



aduersus omnem potentiam diabolorum, luce-  
 to in animis nostris: Vre corda nostra igne tui  
 luminis, & non patiaris nos opprimi Epicureis  
 & blasphemis tenebris. Fac vt tuum diem con-  
 tinuò videamus, & toto pectore propter tuam  
 præsentiam lætemur: Emigremus te prælucen-  
 te ex hoc loco caliginoso & transferamur in ve-  
 ram & nouam lucem, quam eupidè appetimus,  
 non secus ac miseri viatores in longis & caligi-  
 nosis hybernis noctib. ante diem in locis igno-  
 tis oberrantes magno cum desiderio auroram  
 & lucem expectant. Ibi postquam hoc onus  
 caliginum, dubitationum & prauorum affectu-  
 um deposuerimus, intuebimur te in claro lumi-  
 ne, de facie ad faciem. Mane igitur nobiscum  
 sicut assedisti in hospitio ad tuos amicos conui-  
 ctos. Frange nobis tuum panem, agnoscamus  
 te ex fractione, ex communicatione tui & tuo-  
 rum beneficiorum, & aperi oculos nostros, vt  
 semper te cernamus, conferamus nos & manea-  
 mus in illo agmine, quod tuam resurrectionem  
 prædicat, in quo inchoatur ver illius aureæ æta-  
 tis, quæ in tua consuetudine semper est futura,  
 A M E N.

DIE TERTIO IN PAS-  
 CHATE, Iohannis 20.

Ostendisti te in diuturna & crebra familiari-  
 rate tuis discipulis & alijs pijs spectatoribus Ie-  
 su Christe, vt tua Ecclesia certo confirmaretur  
 de



de tua resurrectione, & scirent discipuli tui non vidisse se spectrum. Tibi igitur gratias agimus, pro tuo amore immenso erga nos. Obſigna etiam in anima noſtra huius articuli aſſenſum, vt certò credamus reuixiſſe tuam naturam humanam, & collocatam eſſe ad dexteram Dei in gloriam Patris, vt nos in ea geſtes & ſuſtentes ad vitam æternam. Maneamus igitur vt palmites in te vite perpetuæ vitæ, viuas tu in nobis, gubernes noſtras cogitationes, noſtros motus per tuum ſanctum Spiritum, vt fiat inchoatio illius conſuetudinis & glorię quæ conſpicietur in cœlo. Transferto etiam te in noſtram mœſtam Eccleſiam: Oſtende nobis tuam præſentiam in ærumnis: compellato nos tua viuifica voce, perfundito noſtra corda in veris doloribus, in agone mortis, efficaci ſenſu tuæ pacis, vt iuſtificati fide pacem habeamus, acquieſcentes in te, qui nos vnis & reconcilias cum Patre tuo & per Spiritum ſanctum tuum ad tuum Patrem adducis, vt ſine fremitu & ſine hæſitatione clamemus: Abba Pater. Verè proſitemur aduerſus omnes portas inferorum, te geſtare noſtram carnem, noſtram naturam ſedere ad dexteram Patris, vt illa tua viuifica carne nos alas & ſerues ad perpetuam vitam. Et tibi verò cum gemitu gratias agimus, quòd illam veritatem tuæ carnis claris & euidentibus documentis oſtendiſti. Non quidem tuum corpus glorificatum eget corporali alimento, ſed in tota natura humana in cœlo culina noſtri corporis



erit otiosa, cessabit etiam generatio, erimus similes angelis, fulgebit in nostra anima diuinitas coram, nostra massa corporea immutabitur, circumlabitur noua luce qualis fulget in stellis, lucebimus sicut Sol & Luna, erimus agiles, expediti, sine morbis, sine peccato, sine ærumnis, sine vsu ministerij. Absorptæ fuerunt illæ particulæ alimenti in tuum gloriosum corpus subito, sicut exigua gutta aquæ infusa in grande vas vini subito in vini naturam transit. Veris suspirijs illam augustam consuetudinem tuam in vita æterna, quæ istis corporalibus oculis non est visibilis, expetimus, eam inchoato per tuum verbum in nobis, in hoc mundo. Reserato tua clauis, tuo digito, tuo Spiritu sancto nostras mentes, vt scripturas quæ de te testimonium dant, intelligamus, vt in ea te apprehendamus, vt summam Euangelij quam tu recitasti, in nostris sensibus infigamus. Te qui eras Mediator inter Deum & hominem lapsum congruebat mori, vt satisfaceret iusticiæ æterni Patris tui, te congruebat reuiuiscere, vt perpetuò facias applicationem tui sacrificij, & sis efficax in consolatione & defensione Ecclesiæ tuæ. Exaudiamus & reuerenter accipiamus, te iuuante, tuam doctrinam, arguentem immundiciem & peccata nostræ naturæ, & monstrantem remissionem propter tuum meritum, & donationem nouæ iusticiæ & vitæ efficiendæ per tuum Spiritum, in nostra anima. Hanc fidem in nobis subinde alito & augeto Nate Dei, fac vt discessuri ea luceat



luceat in nobis, vt non inueniamur nudi, sed  
superinduamur iusticia & gloria æterna, Amen.

**DOMINICA QVAM VE-**  
**TVS ECCLESIA NOMINAVIT**  
in Albis, Iohan. 21.

**V T TU FILI DEI** resuscitatus ad nouam  
& æternam gloriam mœstissimo cœtui tuorum  
discipulorum ostensa luce tua te immiscuisti:  
Ita oramus te, vt nostris congressibus etiam  
interfis in nostris doloribus, ostende nobis tu-  
am manum & tuum latus, vt verè statuamus  
propter tuam obœdientiam nos recipi, & tuo  
auxilio nos tegi & regi. Fac vt cum tuis Apo-  
stolis serio de tua præsentia gaudeamus, & sonez  
vox tuæ salutationis in auribus & in anima no-  
stra, vt in hac vita inchoetur in nobis pax Dei,  
quæ superat omnem intellectum humanum, &  
ea confirmetur in vita cœlesti. Tibi toto pecto-  
re gratias agimus, quod in hac vita ordinasti an-  
gelos pacis, instituisti ministerium, per quod in  
credentibus, meditantibus tuam doctrinam, v-  
tentibus sacramentis, & annuentibus Spiritui  
sancto mouenti per verbum, verè vis esse effi-  
cax. Mittis tuos Apostolos sicut te misit æter-  
nus Pater tuus: tua sapientia prolata ex sinu  
æterni Patris tui instituisti hunc ordinem, vt  
homines de tua voluntate doceantur, & visibili  
pignore gratiæ languida fides confirmetur: Et  
sicut æternus Pater tuus verè fuit efficax per  
tuam



tuam vocem & pronunciauit ciues æternæ vi-  
 tæ, qui tuæ doctrinæ crediderunt: ita verè vis  
 efficax esse per Apostolos tuos quos vocasti im-  
 mediatè, & quos ornasti singularibus testimo-  
 nijs vt essent primi propagatores Euangelij, &  
 similiter per alios doctores & pastores vocatos  
 ab Ecclesia, quorum ministerio tu sedens ad  
 dexteram Patris & dans dona hominibus verè  
 præsens es. Et sicut tu missus fuisti sine pote-  
 state politica, sine armis: ita mittis tuos ad do-  
 cendum, nec vis transformari Euangelium in  
 regnum. Tu vniuersam tuam Ecclesiam do-  
 centes & discentes affla tuo salutari flatu, tua di-  
 uina aura, quæ prodit ex tuo & æterni Patris  
 tui peçore, & est tuus fulgens Spiritus & ema-  
 nans ex tua essentia, tua flamma substantialis  
 vniens credentes cum D E O. Ardeant nostra  
 corda illo diuino igne, qui delet sordes nostræ  
 naturæ, spiret in nobis talem lucem agnitionis,  
 & tales motus fidei & dilectionis, quales in tua  
 massa, cui nos per tuum Spiritum inseris, con-  
 spiciuntur, vt tibi nos fiamus similes, hic per  
 inchoationem, ibi in consummatione. Loquere  
 in cordibus nostris tuam dulcem vocem de re-  
 missione peccatorum & foris in ministerio, ser-  
 ua nobis illam doctrinam incorruptam, quæ re-  
 missionem gratuitam annunciat, & perseveran-  
 tes in sceleribus denunciatione iræ tuæ terret.  
 Deploramus etiam, intuentes magnam caligi-  
 nem Apostoli Thomæ, nostram inscitiam, te-  
 nebras, dubitationem, & profanitatem, & seriò  
 abs



nobis te petimus sanationem. Hoc anni tempo-  
 re in festiua paschate vetus Ecclesia in fonte &  
 lauacro regenerationis Catechumenos & re-  
 centes Christianos Ecclesie inferebat & adhi-  
 bebat ritus, testificantes de beneficijs **FILII**  
**DEI**, de inchoata veritate in nouo foedere &  
 de nostra imbecillitate. Vestiebant eos candi-  
 da veste, significante vestem iusticie, gestabant  
 in manibus lampadas commonefacientes nos  
 de flamma ac luce veræ agnitionis Dei & inuo-  
 cationis, & motuum accensorum à Spiritu san-  
 cto, pascebantur melle & lacte, nominabatur  
 ista Dominica, quæ erat dies publicæ pompæ,  
 Quasimodogeniti, vt doceamur omnes nos esse  
 infantes, accipere nos reuerenter tua dictata  
 Iesu Christe, quæ protulisti ex sinu tui Patris.  
 Pendemus ex tuo ore, vt tu loquaris in nobis  
 per tuum Spiritum. Sumus imbecilles, fides  
 nostra est tenera & infirma, alimur dulci lacte &  
 melle tuæ vocis, nondum vescimur cibo solido,  
 quo potiemur in æternitate. Tu igitur suscipe  
 & foue nos sicut blanda nutrix tenerum in-  
 fantem, nos etiam inuoluito in tua sancta vul-  
 nera. Fac vt ex illis sugamus vndam abluentem  
 omnia peccata nostra, & viuificum sanguinem,  
 qui nos alat & seruet ad vitam æternam. Fac vt  
 nos etiam imitemur & exprimamus vocem,  
 quam te præeunte sonuit tuus Apostolus iam  
 immutatus à Spiritu sancto: **DOMINVS** meus  
 & **DEUS** meus. Tu es ille verus & vnicus **DEVS**  
**I E H O V A**, qui te patefecisti ab initio Ecclesie  
 tuæ,



tux, qui missus es à principio, qui semper affuisti generi humano. Tu es omnipotens, ad te Ecclesia omnium temporum direxit suam invocationem. Tu eripis homines ex summis malis, reddis credentibus iustitiam & vitam. Hanc fidem in nobis ob signato tuo Spiritu. Iuua nos vt tibi credamus etiam sine miraculis, abducamus nostras mentes à processu physico, non appetamus novos raptus aut apparitiones, sed satis sit nobis signum Ionæ, tuo verbo in ministerio verè sicut voci sonanti de cælo credamus, nec ille salutaris assensus productus à tuo spiritu vllis contrarijs spectaculis excutiatur. Tu es verax, & in illis qui tibi credunt etiam in media morte vitam & illa bona quæ tuum verbum promittit, inchoabis. Hanc fidem sequitur pax & læticia, accedens per te ad æternum Patrem tuum. Ingens beneficium tuum est, quod Ecclesiæ tuæ tradidisti & commendasti librum Propheticum & Apostolicum, da vt ille sit norma fidei & invocationis nostræ, vt credamus te Iesum esse Christum, regem & sacerdotem nostrum, natura Deum & verum hominem, & in illa fide vera & viua, non historica, non simulata, inueniamus in te vitam & gloriam in omni æternitate, A M E N.

DOMINICA BONI ET  
FIDI PASTORIS,  
Iohan. 20.

MAGNA



**M A G N A** est miseria generis humani, sed  
 maior est bonitas tua **F I L I D E I**. Iacent tui  
 electi in mundo sicut teneri & imbecilles agni  
 editi in aspera aura, in medio campo, inter ter-  
 ribilia agmina scœuorum luporum insidiantium  
 vitæ & saluti ipsorum. Sed tu fidissime pastor  
 hanc orbam naturam humanam, desertam ab  
 omnibus præsijs, tibi æterno fœdere copula-  
 sti, & in ea nos miseros seruas & defendis, ge-  
 llas nos in tuo gremio, sicut pastor teneram &  
 ægram ouiculam. Foves nos tuo salutari calo-  
 re, & defendis nos aduersus omnem immanita-  
 tem tuorum hostium. Tu es pastor verus &  
 vnicus, longè discernendus ab omnibus alijs gu-  
 bernatoribus & pastoribus. Tu es pastor bo-  
 nus bonitate perfecta, & communicans tuam  
 bonitatem credentibus. In te fulget idea &  
 imago bonitatis æterni Patris tui, te loquente  
 similis bonitas in prima creatione in hominem  
 recens conditum est transfusa, quia bonum est  
 communicatum sui. Amissa illa prima boni-  
 tate & integritate, tu ex bonitate inenarrabili  
 oues amissas recuperasti, factus es pastor præci-  
 pius, redemptor & saluator merito & efficacia  
 tui. Ponis animam tuam pro ouibus tuis, sol-  
 uisti æquiualens precium æterno patri tuo pro  
 peccatis totius generis humani, eripuisti electos  
 ex tyrannide diaboli, monstras illis Patrem in  
 noua luce, assuefacis eos ad tuam vocem, illos-  
 que contra omnem potentiam diaboli & om-  
 nium luporum tueris. Oramus te veris gemi-  
 tibus



ribus miserere nostri. O bone pastor animarum  
 nostrarum, sumus immundi, sumus contamina-  
 ti. lacemus sicut agræ & faucis ouiculæ, pro-  
 iecti à tota natura rerum, circumdati grege dia-  
 bolorum & impiorum hominum. Tu verò nos  
 suscipe tua benefica dextera, gestato nos ad tu-  
 um gregem. Præfice nobis pastores bonos &  
 fideles, qui dictata abs te accipiant qui tua ver-  
 ba exprimant, sint fideles dispensatores tuorum  
 mysteriorum, non sint lupi iugulantes miseras  
 ouiculas veneno mendaciorum & falsæ doctri-  
 næ, non sint mercenarij qui sese pascant, qui  
 hominibus placeant, qui auram popularem ca-  
 ptent & religionem ad voluntatem hominum  
 inflectant. Retineant formam sanorum verbo-  
 rum tui pastoris: & sint exemplum sanctitatis  
 pijs auditoribus. Et tu qui vniuersi gregis Do-  
 minus es, sis efficax per ministerium tuorum  
 pastorum, loquere intus in cordibus nostris vo-  
 cem æterni Patris tui, fac vt eam verè cognosca-  
 mus & distinguamus ab omnibus vlulatibus lu-  
 porum & insidiosis cantilenis mercenariorum.  
 Iuuua vt cognoscamus te, sicut tu cognoscis æ-  
 ternum Patrem tuum. Accendatur in nobis illa  
 lux, & veritas, quæ fulget in te & Patre tuo,  
 frigida nostra corda stupefacta ex sensu iræ Dei,  
 oppressa ærumnis & malis inextricabilibus, ca-  
 lefacito & foue tuo flatu, salutari tuo Spiritu  
 & calore, emenda gelu nostræ naturæ, contine-  
 to nos in tuo gremio, & effice in nobis iustici-  
 am & vitam tibi placentem. Sumus ex Ethni-  
 cis,

eis  
 glo  
 tib  
 cle  
 Pa  
 per  
 am  
 exa  
 lect  
 uis  
 rab  
 rap  
 tuo  
 obf  
 aut  
 def  
 fina  
 mar  
 nos  
 tam  
 & in  
 con

D I

A

T  
 auril  
 L I  
 mun



eis, ex parte generis humani blasphemia in tuam gloriam: Sed tu qui ex immensa misericordia tibi etiam ex illa immunda massa hominum Ecclesiam colligis, eamque cum agmine sanctorum Patrum & Prophetarum vnis: Serua tibi semper inter nos sanctum semen, fac ut semper tuam vocem sonet, & intus te loquentem nobis exaudiamus. Sit vnum ouile, vna Ecclesia collecta ex Iudæis & gentibus & vnus pastor. Grauis tibi est lucta cum inimico tuo diabolo, qui rabie & audacia impia conatur timidus oues rapere ex tuis manibus: Sed tu in æterno Patre tuo eris victor. Nos igitur miserrimas ouiculas obsessas à tanta potentia hostium, pendentes autem ex tuo collo, fugientes in tuum sinum, defende aduersus omnes portas inferorum. Nō sinas succumbere, non sinas nos rapī ex tuis manibus, tege nos in tuo gremio, osculare nos osculo oris tui, inspirato nobis robur & vitam, quæ in hoc seculo in tuo ouili inchoatur, & in regno cœlesti apud Patrem tuum æternum consummatur, A M E N.

**DIE RECORDATIONIS**  
**APOSTOLORVM PHILIPPI**  
 & Iacobi, Iohan. 14.

TE præcinente & præeunte sonat assidue in auribus & in anima nostra tua cygnea cantio **FILII DEI**, recitata in vltima cœna ante tristissimum agonem. Repetit homo *φιλόσοφος* cum  
 M sua-



suavi desiderio voces & actiones sui morituri  
 parentis aut amici: Nobis igitur etiam dulcis sit  
 recordatio illius sermonis, qui tibi fuit postre-  
 mus in hac vita, in quo epilogo verè admiscui-  
 sti ardentia tua *πρόθεν*, pronunciaſti verba tui  
 æterni testamenti, repetiuiſti summam Euan-  
 gelij, descripsiſti Eccleſiam, inſtituiſti miniſte-  
 rium, docuiſti quæ & qualis ſit futura Eccleſia,  
 recitaſti prædictiones de cruce & dolci conſola-  
 tione. Hæc tu inſcribe noſtris mentibus, & fa-  
 cito vt perpetuò tui & tuæ doctrinæ memori-  
 am retineamus. Tu Apoſtolos tuos mæſtos  
 & conſternatos propter tuum abitum & mor-  
 tem, propter ſuam orbitatem & propter peri-  
 cula, quæ ipsis erant ſuſtinenda propter tuam  
 confeſſionem, aſſatus es hæc heroica & forti vo-  
 ce: Non turbetur cor veſtrum, credite in De-  
 um & in me. Vagabantur tui Apoſtoli, vagan-  
 tur multi pij doctores in hoc mundo extorres,  
 exules, ſpreſti ab omnibus hominibus, Eccleſia  
 tua eſt humilis, ærumnoſa, premitur à magnis  
 imperijs, ab illis qui florent opinione ſapientiæ  
 & virtutis. Sumus *καθάρματα* & *περιψήματα*  
 mundi, noſtra vmbra iudicatur nocere bonis.  
 Dicimur turbare conſenſum generis humani,  
 pacem publicam, attrahere confuſiones & exitia  
 regnis & patriæ. Tu iuua nos, ne frangamur hæc  
 iniquitate iudiciorum in mundo, & non ſuc-  
 cumbamus oppreſſi mole calamitatum, ſed in  
 medijs malis recordemur tui, & non turbetur  
 noſtra fides, noſtra inuocatio, noſtra vocatio  
 pro-



propter persecutionem mundi : sed erigamus  
 nostras animas ad te & ad æternum Patrem  
 tuum. Sumus exules, sumus inopes, excuti-  
 mur ex nostris sedibus propter tuam veritatem:  
 terra non capit nos, tamen cælum capiet. In  
 domo Patris tui sunt multæ mansiones. Non  
 sumus conditi ad miseras huius vitæ, nolumus  
 accipere à principe mundi opes, oportet nos  
 fieri conformes tibi exuli propter nos. *παλιτὰ*  
*περὶ* nostrum in cælis est, ibi habemus ius ciuita-  
 tis in augusta domo Patris tui. Inde est origo  
 animarum nostrarū, ista est patria parta sangui-  
 ne tuo. Eam igitur desideramus & expectamus,  
 ibi fruemur quiete & beatitudine in cœtu Pro-  
 phetarum & Apostolorum tuorum, haurientes  
 tuas voces, qui nobis interpretaberis sapienti-  
 am tui Patris conspectam in ordine creationis  
 & redemptionis hominū, & docebis nos ea quæ  
 in caligine huius vitæ non possumus intelligere.  
 Expetimus igitur illam lucem in tua domo, vbi  
 tuus Pater est paterfamiliās, & tu es xenodo-  
 chus adducens electos ad Patrem, & distribuens  
 tuis gratis hospitibus & conuiuis mansiones &  
 locum in tua mensa. Tu antecessisti vt præcur-  
 sor, collocasti tuam naturam humanam in glo-  
 riam & beatitudinem diuinam, vt nos bees in  
 illa. Parasti nobis locum, redibis & nos attrahes  
 ad te, emigrantes nostras animas in agnitione &  
 inuocatione tui commendas manui & sinui tui  
 patris, redibis fulgens in nubibus etiam, & nos  
 resuscitados ex morte collocabis in tuam aulam



ad conuictum & læticiam perpetuam, ut in omni æternitate tecum simus, in mansione ubi verè est bonum esse. Sunt in hac lubrica vita multa diuerticula, obsidetur aditus ad te ab immundis prædonibus. Mundus est plenus caligine & mendacijs, terribilis mors totum genus humanum iugulat, tamen te præeunte tenebimus illud iter ad cœlestem Academiam. Tu dixisti: Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me. Tu præfers facem tuis miseris viatoribus in hoc ærumnoso exilio, monstras illis lucem tui Patris, tuo Spiritu confirmas eos in vera agnitione tui, ne deerrent ad impias semitas obsessas à diabolicis. Tu es fausta aurora & Sol iusticiæ discutiens tenebras in hac mundi caligine, & erigens mentes nostras conspectu veræ lucis. Tu es verus interpretis tui Patris & λόγος sonans veritatem foris & intus, veras noticias de Deo & sanctos motus obsignans in erudentibus: Tu deles mendacia diaboli decipientis impios falsis præstigijs. Tu es vita erigens nos in media morte, accendis in electis sensum nouæ vitæ, eosque perfundis dulci desiderio consuetudinis cœlestis, extinguis omnes paures mortis, & ex morte facis gratum & iucundam somnum. Non est aliud nomen datum sub cœlo, per quod saluos fieri oportet homines, quàm tuum. Monstra igitur nobis tuum Patrem in salutari lumine veræ agnitionis & nouæ vitæ. Verè profiteamur te esse vnum cum æterno Patre tuo in vnitæte essentiæ & voluntatis. Es vera  
& vi-



& viua imago tui Patris, conditor cœli & terræ,  
 cum Patre tuo & Spiritu sancto. Tu ita pate-  
 fecisti te generi humano, quod sis persona per  
 quam placata est ira Dei aduersus nostra pec-  
 cata, propter quam recipiuntur omnes creden-  
 tes & conuersi ad te. Hæc est congruens vo-  
 luntas diuinitatis, & ad te confugiamus, & in  
 veris doloribus conscientiæ luctantis cum ira  
 Dei abs te opem petamus. Credimus tibi quod  
 verax es, & eruditi à tuo spiritu non solum mo-  
 uent nos miracula, sed opera interiora. Viuifi-  
 catio animæmersæ in æternam mortem dat  
 testimonium de tua persona & beneficio. Hoc  
 miraculum perpetuò exerceas in nobis, quod  
 omnium summum est in cœlo & in terra. Maius  
 miraculū est, quod miser latro pendens in cruce  
 in gratiam recipitur & seruetur ad æternam vi-  
 tam, quàm quod tua natura humana, quæ nullo  
 peccato inquinata fuit, reuiuiscit. Generis hu-  
 mani lapsi in peccatum & in mortem restitutio  
 per tuam præsentiam, magis mirandum opus  
 est, quàm creatio rerum, aut resuscitatio homi-  
 nis mortui. Hæc tua beneficia Fili Dei à te qui  
 sedes ad dextram tui Patris, vt des nobis dona,  
 supplices petimus. Sumus in tenebris, in tristi  
 exilio, onerati grandi mole peccatorum, dubi-  
 tationum, caliginis & ærumnarum, non relin-  
 quas nos orphanos: Veni ad nos & viuifica nos  
 tua diuina præsentia. Tu es frater noster, gestas  
 nostram carnem & ideo hoc fœdus iniijsti, vt  
 nos siamus tui fratres, efficiamur participes di-  
 uinæ



uinæ naturæ per te. Effunde igitur in nos de tuo Spiritu, qui semper maneat nobiscum, qui accendat in nobis similem lucem & iusticiam, qualem æternus Pater in te imaginem suam propagat, qualis ex tua natura diuina emanat in humanam, & ex ea in nos. Inchoa in nobis tuum regnum in hac vita, & excita desiderium æterni regni, scribe nostrum nomen in cœlo, para nobis locum & mansionem in tua domo, vt emigrantes ex hac valle miseriarum, acquiescamus in tuo conspectu, in vera patria, impleti luce, vita & iusticia, vt perpetuò in hac vita & in cœlo glorificetur æternus tuus Pater in nobis, Amen.

**DOMINICA CHRISTI  
MEDICVM SE OCCULTANTIS,  
Iohannis cap. 16.**

CONDITA fuit nostra natura vt perpetuò frueretur beato conspectu DEI, & sine vllis ærumnis viueret in læticia æterna. Sed propter tristem secessionem hominis, æstijt DEVS hominem viuificare & beare, & amisit homo dulce gaudium sui cordis, & fuit oppressus consternatione & pauorib. inenarrabilibus: Sed ô Fili DEI te restituente ordinem priorem, tui electi recipiunt consuetudinem & familiaritatem tuam, & denuo suauis sensu tuæ præsentia perfunduntur. Abducis te à parte damnata generis humani in perpetuum, merguntur impij in hac  
vita



vita in æternam mortem, terrentur tuo iudicio  
 aduersus peccata sua, sine consolatione exha-  
 lant blasphemias animas inter horribiles fremi-  
 tus desperationis, & in omni æternitate abijci-  
 entur a conspectu DEI & cœlestis Ecclesiæ in  
 cruciatus horribiles. Nec verò ita a nobis profi-  
 ciscere Iesu Christe, nec punito nos tali orbita-  
 te, vt salutarem tui conspectum & vsuram tuæ  
 lucis amittamus. Occultas te etiam quidem Ec-  
 clesiæ tuæ, & sancti meriti in tristia mala sæpe  
 anxij tuam præsentiam requirunt, sed abscondis  
 te modicum, & hoc modicum nobis bonum  
 est: Bonum mihi Domine quod humiliasti me,  
 vt discerem iustificationes tuas: Sed in tempore  
 te nobis denuo ostendes. Vis hanc inquinatam  
 massam nostræ carnis castigari sub cruce, vt ex-  
 pauescamus cogitantes de mole iræ Dei aduer-  
 sus peccata hominum quam tu sustinuisi, ne  
 nos redigeremur in nihilum. Vis etiam inter il-  
 los dolores serio nos confugere in tuas vlnas,  
 abs te petere opem & in calamitatibus ardenti-  
 us te inuocare. Segnis est nostra natura, vita ista  
 est lubrica, secundæ res etiam sapientiam & pi-  
 orum animas fatigant, & socordes atque magis  
 effrenes reddunt. Sed anima anxia tibi est pro-  
 pinqua in cruce, in tua castigatione nostra mens  
 per precationem ad te ascendit, destituta causis  
 secundis, quibus falso adhæserat, coram te sese  
 effundit, & tu ex immensa bonitate prope es  
 omnibus qui tribulato sunt corde. Tuo etiam  
 consilio inexplicabili, excellentiæ membra vis

M 4

heri



fieri conformia tuo corpori in passione, ut ex-  
 teret testimonium illustre de veritate tuæ doctri-  
 næ, de futuro iudicio & gloria. Tu iuisti ad  
 Patrem, collocatus in gloriam Patris, non frui-  
 mur conspectu tui visibili, regnum tuum non  
 est de hoc mundo, nos autem in mundo su-  
 mus, ideo oppugnamur à principe mundi &  
 satellitibus ipsius, & tu sæpe videris emigrasse  
 ex medio nostri. Disputant tui electi in sum-  
 mis malis, anguntur propterea quod tu videris  
 latere, & species Ecclesiæ sæpe est talis ut videatur  
 interitura. Mundus ærumnas Sanctorum  
 prosequitur sarcasms & ronchis, sicut tibi pen-  
 denti in cruce accidit: Sed tamen tempus hoc  
 breue est, tu reuerteris in hora oportuna. Verè  
 tua hora est tarda, sed iucundissima. Sustine-  
 mus in hac misera vita dolores parturientis,  
 premimur sensu nostrorum peccatorum, ærum-  
 nis, morbis, morte: sed tu iuua ut in nobis  
 nascatur nouus homo, restitutus ad imaginem  
 tuam, qui tecum viuet in perpetuum. Hæc fi-  
 des, hæc spes futuræ liberationis extinguat in  
 nobis tristitiam omnem: Ostende igitur no-  
 bis tuum vultum, & fac ut feliciter tua noua  
 creatura crescat: sedeamus in tuo verbo inuo-  
 luti, sicut foetus inuolucris suæ matris, hauri-  
 amus per tuum Spiritum ex tua massa succum  
 vegetantem nos ad nouam & æternam vitam,  
 non rumpamus hæc vincula tuæ ordinationis  
 ante tempus, audiamus, discamus reuerenter ea  
 quæ tu sonas in ministerio doctrinæ, sentiamus in  
 in



in istis tenebris, in illa caligine initia tui gaudij. Suspiciamus oculis fidei ad illam lucem quæ nobis illucescet tunc quando redibis visibiliter. Fac vt primordia illius læticiæ gustemus in hoc mortali corpore, vt perpetuò in consternatione animæ nostræ, in nostra decessione, experiamur præsentiam tui Spiritus, qui est substantialis læticia inter te & æternum Patrem tuum. Ille sua flamma, suo salutari flatu corda nostra dilater & expandat, vt te complectantur, vt fiamus vnum tecum, vt hoc gaudium semper retineamus & omnia nostra damna læta spe leuemus. Tu in illo fausto tuo reditu ornato nos læticia consummata, vbi delebuntur omnes dubitationes, omnes tenebræ, omnes ærumnæ, vbi tu lucebis in nobis perfectè, & immutabis nos ad imaginem conformem tuo glorioso corpori,  
A M E N.

DOMINICA SPIRITVS  
S AN C T I A R G V E N T I S M V N D V M  
de peccato, de iusticia, de iudicio,  
Iohan. 16.

T v Fili Dei Iesu Christe sedens ad dexteram æterni Patris, exaltatus in gloriam & lucem divinam: tua Ecclesia viuit in exilio, gemit & desiderat tuam consuetudinem inter ærumnas huius miseræ vitæ, tu consolare nostra mœstacorda, imprime nobis sensum huius rux viuificæ promissionis, fac vt verè credamus quod

M 5 nobis



nobis tuus discessus utilis sit. Tu es exaltatus ut sis caput omnia complens. Totum genus humanum funditus perisset, nisi tu nostram massam assamisses. Verè igitur tuus abitus nobis est fructuosus. Sedes ad dexteram Patris, ut in nos effundas de tuo Spiritu. Hoc igitur donum abs te cum desiderio petimus: Iuua nos ut tuo Spiritui nos reuerenter subijciamus. Furit mundus inquinatus idolatriæ & horribilium scelerum turpitudine: Etiam sapientes & modesti non intelligunt & deplorant huius miseræ naturæ immundiciem & caliginem, ingrati homines tuum beneficium aspernantur, aut etiam tuam missionem derident. Da ut nos inueniamur in numero illorum, qui vocem tui Spiritus accusantis nostras sordes, nostram ignorantiam, & nostra peccata audiamus, & nostros morbos seriò agnoscamus, & medicinam abs te petamus. Caro & sanguis sapientiam Euangelij non capit, tegit suam immundiciem folio fic: disputat de frenatione locomotivæ, ostentat gloriose illam suam squallidam iusticiam, quæ nec peccatum nec mortem tollit, nec reddit vitam anxio cordi. Tu nos doce nostram iusticiam esse tuum transitum ad Patrem, qui est meritum & efficacia tui. Tuo transitu ad Patrem placata est ira æterni Patris tui, tuo transitu in vitam reddita est nobis iusticia & æterna vita. Magna quidem rabies est diabolorum & organorum ipsius, sed te iuuante viacemur. Iniquissima sunt iudicia sapientum in hoc mundo de tua veritate

ritate



ritate & de tua Ecclesia: sed Spiritu tuo sancto reuelante sequimur sapientiam patefactam in Euangelio, quæ longè posita est supra captum creaturarum, & scimus diabolum non futurum esse victorem, tua præsentia & efficacia caput ipsi conteris, & eum ad æternam damnationem adiudicasti, tandem etiam toti generi humano turpitudinem ipsius ostendes. Sumus infirmi, oppressi tetra caligine, non possumus portare excellentiam tuæ lucis, sed tu auge nobis fidem & nos infirmos tuo Spiritu obsigna, ille nos ducat in veritatem agnitionis & inuocationis tuæ, excitet in nobis verum robur fidei nitentis in tuo verbo, in summis malis, credentis remissionem peccatorum, & firma spe expectantis integram liberationem. Ille nobis monstret tuam gloriam, tuam & æterni Patris tui voluntatem & similem conformitatem in nobis accendat, ut perpetuò vnum simus cum Deo, A M E N.

DOMINICA QVA PRO-  
PONITVR MANDATVM ET PRO-  
missio de inuocatione, Ioh. 16.

FILII DEI DOMINE IESV CHRIS-  
TE dulcis est tua vox ad Ecclesiam tuam ante  
vltimum agonem pronunciata: Amen, Amen  
dico vobis, quicquid petieritis Patrem in no-  
mine meo, dabit vobis: Non fruimur tuo con-  
spectu visibili, non te amplectimur brachijs, cu-  
mulati sumus hostibus sæuissimis, sola oratione  
& gemi-



& gemitibus accensis à tuo Spiritu nostra anxia corda sursum transferimus, ea coram te effundimus, & opem ab æterno Patre tuo, tui fiducia poscimus. Tu es caput Ecclesiæ tuæ, tu impetrasti remissionem peccatorum & æternam vitam credentibus, te Pater semper exaudit: ideo te nominato & interpellante impetrabimus ea quæ petimus secundum tuam voluntatem. Ut tui Apostoli confisi tua præsentia erant segniores: ita sæpe res secundæ timorem DEI & invocationem etiam in electis debilitant: Sed tu excutias nobis istam securitatem. Fac ut sentiamus nostram imbecillitatem, ut assidue petamus incrementa lætitiæ inchoatæ in nobis. Sonet in nostris auribus & cordibus perpetuò tua promissio: Petite & accipietis. Loquere in nobis FILI DEI tuam veritatem, apertè, sine tenebris idolatricis, & tuo Spiritu corda nostra ure, ut in tuo nomine cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus, ut verè statuamus nos etiam diligi ab æterno Patre tuo, & nostras imbecilles voces & nostra infirma suspiria tecum, qui stas ad dextram Patris tui semper interpellans pro nobis, coniungamus. Reliquisti mundum corpore, sed præsens nobis es virtute eiusdem corporis, & viuis apud Patrem, ut simili vita tecum vivere incipiamus. In tua difficili lucta tecum fuit Pater transfundens in te radium suæ lucis & gloriæ, nobis etiam in nostro agone adesto & non relinquant nos orphanos. Fac ut altè infigamus animæ nostræ epilogum dulcissimum sanctæ



**De tua valedictionis.** Habemus in mundo afflictionem, gerit tecum & cum tua Ecclesia perpetuū bellum diabolus: sed satis sit nobis quod in te habemus pacem: Te iuuante vincimus in media morte, habebimus protectionem abs te in hac vita, secundum tuam voluntatem, & decedentes etiam sentiemus læticiam cordis acquiescentis in te, & cum sanctissimo desiderio expetentis migrationem & beatam tui consuetudinem. Tu vicisti mundum, qui apparuisti vt destruas opera diaboli, tuo spiritu incende hanc fiduciam tuæ victoriæ in nobis, & da vt ea fruamur hic & in æternitate.

**DIE FILII DEI EX HOC  
MUNDO VISIBILI CVM TRIUM-  
pho ascendentis sursum in locum  
cœlestem, Marci 16.**

**P**ost suauissimam & augustā quadraginta dierum consuetudinem **FILII DEI**, cum beato agmine tuorum discessisti ex hoc visibili mundo ad vitam & regnum cœleste. Tibi toto pectore gratias agimus pro tuo beneficio, & te supplices oramus, nos etiam tuo exercitui & agmini inscribe, quod te triumphantem comitatur: Pendet Chirographum scriptum ex testimonio reæ nostræ conscientie in nostram condemnationem, ex tua cruce, abolita est sententia damnationis, inducta tuo cruore, qui nos mundat ab omnibus peccatis. Ducuntur  
vincti



vincti hostes electorum, diaboli & mors, & vni-  
 uersum agmen cœlestis & terrestre impletum di-  
 uina læticia, tuam victoriam & beneficia præ-  
 dicat. Ecclesia cœlestis fruitur tuo triumpho  
 visibiliter. Ea quæ in terris est, spe salua facta  
 est, & ornatus filix regis est intus. Tu magna  
 multitudine piorum auditorum & sancta tua  
 matre spectante visibiliter ex loco inferiori ad  
 nubes & in locum cœlestem translatus es, offen-  
 disti gustum æternæ vitæ tuis Apostolis admi-  
 rantibus, & per angelos illis de tuo reditu ad  
 iudicium es concionatus: Tu naturam tuam  
 humanam glorificasti gloria inenarrabili, qualis  
 creaturis alijs non potest competere, & præte-  
 rea eandem collocaisti ad dexteram Patris tui ad  
 regnum æternum. Sursum sunt etiam alij pij  
 homines, ornati luce, gloria & vita perpetua  
 apud te: sed tua natura humana non solum  
 sursum est, vt sancti, sed exaltata est in lucem  
 inaccessibilem omnibus creaturis. Regnas apud  
 Patrem tuum visibiliter implens totam Ecclesi-  
 am cœlestem iusticia & gloria diuina. Regna  
 etiam in hac vita, foris in ministerio & intus  
 in anima. Ascendisti in altum, duxisti captiuam  
 captiuitatem vt dares dona hominibus. Ante  
 tuum abitum repetiisti institutionem ministe-  
 rij Euangelici: dedisti mandata de docendis  
 omnibus gentibus. Pro quo beneficio læti tibi  
 gratias agimus, quod nos etiam ad societatem  
 Ecclesiæ vocas. Inua nos tuo Spiritu, vt tuo  
 Euangelio assentiamur, vt fœdus quod in laua-  
 cro



ero Regenerationis tecum pacti sumus perpe-  
 tuo custodiamus. Tu munus Apostolorum tuo-  
 rum circumferentium nouum genus doctrinae  
 in orbe terrarum ornasti singularibus testimo-  
 nijs miraculorum, vt Ecclesia certa esset, ipsos  
 non errasse. Tu nobis etiam serua ministerium  
 & vocem doctrinae incorruptam. Mitte nobis  
 Euangelistas, Pastores, Doctores, qui se con-  
 iungant cum doctrina Apostolorum, eamque  
 fideliter propagent. Et tu qui Dominus es mi-  
 nisterij, intus in cordibus tuam vocem loque-  
 re, & similes flatus & motus per spiritum tuum  
 excita. Tu euectus es in altum, vt sis caput Ec-  
 clesiae tuae omnia complens. Comple etiam tuas  
 effectiones in nobis, insere nos tuae glorificatae  
 & exaltatae massae, effunde ex ea in nostram mi-  
 seram naturam de tua diuina essentia similem  
 spiritum, qui se cum nostra anima permisceat,  
 qui in hac vita in nobis inchoet aeternam vitam,  
 qui creet in nobis hominem nouum factum ad  
 similitudinem & imaginem tuam, qui spiret in  
 nobis talem integritatem & iusticiam, qualem  
 tu ex pectore aeterni Patris tui profers, qualem  
 tuae humanae massae imprimis, illam lucem se-  
 quantur sancti motus congruentes cum volun-  
 tate Dei. Emenda tenebras nostrae animae, ex-  
 tinguere vitiosos motus nostri cordis, suscipiat  
 quotidie sua incrementa nouus homo foris:  
 defende etiam tuam Ecclesiam tua dextera ad-  
 uersus omnem potentiam diabolorum & ho-  
 minum: Euolantes animas nostras perfunde  
 gustu



gustu nouæ vitæ, & complectere tua manu, & facito vt in resuscitatione & glorificatione Ecclesiæ læti te, qui in nube redibis & fulgebis, intueamur, ad te etiam euehamur & in regnum nouum, quod tunc Patri tuo trades, ad perpetuam beatitudinem transferamur, A M E N.

DOMINICA SPIRITVS  
VERITATIS ET SANCTAE  
crucis, Iohan. 15.

N I H I L præstantius æternus Deus homini condito communicare potuit, quàm sese: Ita rursus tu Fili Dei nullum nobilius donum tuis electis omnibus promittere potes, quàm transmissionem tui Spiritus, procedentis ex tuo & æterni Patris pectore. *ἐκ τοῦ Πατρὸς* ille salutaris Spiritus ex Patre, & à te credentibus mittitur: Iste est ille substantialis amor, ille sanctus agitator, inter Patrem & Filium in eadem essentia, easdem excitans virtutes, illum eundem diuinum flatum æternus Pater & Filius spirant in corda piorum hominum, vt similem nouitatem animæ renatæ imprimat, qualis lucet in essentia veri Dei. O bonitatem excellentem, O munus nobilissimum: Ista est vita & læticia æterna viuere vita conformi Deo, esse vnitum cum Deo & beatis angelis in simili agnitione & simili iusticia. Iste est paraletus piorum in hac miseriarum valle. Nostra natura est orphana, amittit propter peccatum suum patrem, est muta &



& elinguis : excussit λόγον Oratorem & sapien-  
 riam æterni Patris, excussit Spiritum sanctum  
 rectorem, est timida, nuda, pauca, fugitans  
 conspectum Dei vindicis. Filius D E I tollit no-  
 stram orbitatem, reddit nobis Patrem, Patris &  
 sui societatem per eundem Spiritum: Ille est  
 noster Paracletus, advocatus, illustrat nostram  
 animam diuina luce, quam loquitur λόγος ex  
 sinu Patris: suscitatur motus & agitationes con-  
 formes illi luci & sermoni: Consolatur pauca  
 corda, erigit ea conspectu D E I, interpellat pro  
 nobis gemitibus inenarrabilibus: Opitulatur  
 nostræ infirmitati: Quæ nostra infirma mens  
 & lingua non potest capere & effari, ipse implet  
 in arcano pectore Patris. Vestit nos luce sua, &  
 iusticia: & tegit nostram immundiciem. Diabo-  
 lus suo blasphemio afflatus turbat animas homi-  
 num mendacijs contra legem D E I, & afflat agi-  
 tationes & appetitiones sceleratas. Iste est au-  
 tem Spiritus veritatis, docens mentes piorum,  
 imbuens eas vera noticia Dei, flectens animam  
 ad veram inuocationem, ad veram obœdientiã,  
 imprimens cordi sanctos motus congruentes  
 cum lege D E I. Hoc tantum munus abs te Do-  
 mine I E S V C H R I S T E poscimus. Tu dixi-  
 sti: Quanto magis dabit Pater cœlestis spiritum  
 sanctum petentibus. Effunde igitur in nos de  
 tuo Spiritu, qui testimonium de te dicat: qui  
 ea efficiat rata in natura nostra, quæ sonat in  
 voce tuæ promissionis: qui nos confirmet vt  
 etiam simus testes intrepidi de tua veritate, &

N

abs



abs te nunquam deficiamus. Ardet odio tui immani diabolus : Ecclesia tua ex arcano tuo consilio est subiecta cruci. Conijciuntur in tua membra à sapientibus huius mundi crimina , quæ in hac vita sunt tristissima. Dicuntur esse desertores veteris Ecclesie, turbatores pietatis, concordie, pacis : Proijciuntur à potentibus tanquam *noctæ pernos* & piacula : Iudicantur tollendi, vt **DEVS** desinat irasci toti populo, optant vt in cruore illorum natate possint. **TU FILI DEI** tuo spiritu adde nostro anxio cordi verum robur, vt non frangamur propter pericula illa, nec abs te deficiamus. Non illa accidunt nobis merito nostro, sed ideo quia tu eos repugnantes tuæ voluntati deseruisti, & tradidisti in potestatem diaboli, qui eos excecavit, vt nec te, nec Patrem tuum agnoscant. Iuato nos vt in medijs ærumnis erecti tua voce, meminisse possimus eorum, quæ tu nobis dixisti, vt sentientes tuam præsentiam intus in anima, in te inueniamus pacem, & innixi perpetuò tuo verbo, finem fidei nostræ æternam vitam adipiscamur.

**DOMINICA IN PENTECOSTE.**

**SI** quis diligit me, sermonem meum serua-  
bit, & Pater meus diliget eum & veniemus ad  
eum, & mansionem apud eum faciemus. In Pen-  
tecoste Iudaica post exitum populi ex Aegypto  
ante annos 3075. **TU FILI DEI** Domine  
Iesu



Iesu Christe, qui tuum exercitum in deserto vagantem visibili specie comitabaris, stans in cacumine montis Sinai inter tonitrua & fulmina ardente toto monte, propositiones legis pronunciaſti, & pectora rea ex agnitione peccati arguiſti & terruiſti, eaq; denuo tua praesentia erexiſti, & errabunda tua agmina texiſti. Tu idem Mediator & Rex Ecclesiae tuae, in Pentecoste noui testamenti impleuiſti promiſſionem tuae ualedictionis, effudiſti in visibili specie flammaram Spiritum sanctum in Apoſtolos, & eos armaſti dono multarum linguarum, ad doctrinae tuae propagationem. Haec tanta bona nobis etiam dato & ſeruato perpetuo. Fac ut tuam legem amemus, intellectum illius ſincerum retineamus, uoce legis arguentis peccata noſtra agnoſcamus, & abs te opem experamus. Tu etiam tuo Spiritu renoua immundam noſtram naturam. Te dicente aeternus Pater tuus hanc mundi machinam produxit: In te lucet idea omnis ſapientiae Patris: Tuus Spiritus obumbrans res conditas fouet, & ſicut gallina matrix incubando vitalem flatum illis inſpirauit: In hominem uero inprimis transfudit ſpiraculum uitae, animam rationalem, ornatam ſapientia & iuſticia diuina. Idem ille ſalutaris uentus, ſuo flatu corda ſanctiſſimi coetus tuorum Apoſtolorum & piarum matronarum impleuit, & in linguis eorum ſpecie flammaram uisibiliter fulſit. Tu Fili DEI, eodem tuo flatu & flamma emenda frigus noſtrae imbecillis naturae, ure noſtra corda

N z igne



igne tuæ legis, sana ea tua consolatione, eamq; firmiter loquere in nobis per tuum Spiritum, foveat ille nostram animam, sicut teneri pulli hauriunt vitalem calorem ex pectore suæ matris. Ex tuo & æterni Patris tui pectore procedat ista sanctissima agitatio, quæ nos ad DEVM verum copulet, vt perpetuò tibi adhæreamus, vt surculus suo trunco, vt membrum suo capiti. Regat linguam nostrâ etiam illa salutaris flamma, vt vox nostra seruiat tuæ gloriæ: Nunc etiam donum linguarû Ecclesiæ tuæ seruato. Mitte multos sinceros interpretes tuæ doctrinæ, qui sonent ea quæ sunt analogæ fidei. Et quia patefacta semel doctrina vis Ecclesiam ad illam normam esse alligatam, serua studia & scholas in quibus docentur linguæ, quibus vox tuæ doctrinæ comprehensa est, & artes quas tu generi humano, tanquã instrumenta necessaria ad docendum, monstrasti. Petimus hoc tantû munus ex tua promissione: O vocem dignam æterna memoria: Si quis diligit me, &c. pronuncias seruantes tuum sermonem, illos qui sunt custodes tuæ doctrinæ in fide & bona conscientia, verè diligi à tuo Patre, & talium pectora esse domicilia diuinitatis. Nihil tristius est quàm abiectum esse à Deo in pauores & cruciatus æternos. Nihil dulcius est quàm habere placatum Deum & diligi à DEO. Hoc tantum bonum promittis tuis auditoribus. Nos igitur etiam beato tuo cœtui infere, quem amat Pater tuus, qui habet remissionem peccatorum: propter tuum  
meri-



meritum & in gratiam & hæreditatē vitæ æternæ recipitur. Neq; solum vis nobis præsens esse dilectione & iusticiæ tuæ imputatione: sed etiam naturali participatione & reali conformitatis cum D E O effectione. Homo deceptus à diabolo Deum rectorem excussit, & talem superbiam induit, quod velit se gubernare etiam sine D E O. Tueatur D E V S vitam tuam, cætera à te ipso pete, dicunt sapientes huius seculi, & prædicant eum virum, cui omnes spes ex se ipso pendent. Sed ô cæcitatē deplorandam, quā miserabiliter & turpiter humana sapientia sine D E O impingit, in quā triste exitium diabolus hominem desertum à D E O proijcit. Tu igitur misertus nostræ infirmitatis ordinem interruptum per peccatum restituis, vis corda credentium rursus fieri domicilium & templum diuinitatis. Vbiq; quidem præsens est diuinitas, totam mundi machinam & singularum rerum substantias sustentans, quamdiu vult: destruens etiam easdem ubi vult, & seruans ordinem politicum in vita: sed in sola illa anima habitat, quæ Christum accipit, in illam spirant Pater & λόγος de suo Spiritu, eam sibi agglutinant in simili luce, iusticia & vita. Fulget in Filio gloria paternæ lucis, massam humanam quam sibi æterno fœdere λόγος copulauit, eodem Spiritu perfundit, eundemque in pectora credentium effundit, vt similia in ipsis efficiat. Nam & suam & nostram massam λόγος per eundem Spiritum viuificat. Hoc est initium æternæ vitæ in hac



misera & caduca vita. Iste spiritus imaginem Dei  
 quam λόγος praesens in nostris mentibus loqui-  
 tur, animae nostrae imprimit, accendens lucem  
 & agnitionem conformem Euangelio, flectit  
 nos ad veram inuocationem, excitat in volun-  
 tate sanctos motus, congruentes cum lege Dei,  
 quales in ipsa natura humana glorificata Christi  
 lucent: Iste medetur nostrae infirmitati. Egre-  
 ditur à Patre missus per Filium, vt nos renouet  
 ad imaginem Christi: Regreditur ad Filium &  
 Patrem, vt nos cum Deo copulet, & gemitu  
 inenarrabili pro nobis intercedat, & pectus eter-  
 ni Dei ad misericordiam erga nos stimulet. Ita  
 condita est nostra natura, vt ex bonis spiritibus  
 fiat bonae ratiocinationes & concinni motus:  
 Quomodo igitur non optimas cogitationes &  
 optimos motus gignet iste optimus spiritus, qui  
 natura Deus est? & ideo se nostris spiritibus  
 natis in nostra natura & discurrentibus in cor-  
 pore à se renatis, substantialiter permiscet, vt  
 imprimat lucem & nouitatem aliam à sapientia  
 & iusticia naturali. Sæpè igitur hos gemitus re-  
 petimus: Tuq; λόγος viuens nostris in menti-  
 bus assis, & flatu accendas pectora nostra tuo.  
 Conuerte nos Domine & conuertemur: flecte  
 nos ad agnitionem nostrorum peccatorum, eri-  
 ge nos voce Euangelij, & fac vt promissionem  
 Spiritus accipiamus per fidem. Tu nos confir-  
 ma, vt tantum donum retineamus, vt non  
 implicemur laqueis diaboli, non effundamus  
 eam augustum hospitem nostris sceleribus,  
 vt am-



vt ambulemus accuratè, non vt fatui indulgentes omnib. stultis cupiditatibus, vitemus occasiones lapsuum, & subinde feruenti oratione hoc tantum donum nobis seruari & augeri petamus. Reuocet nobis ille tuus Spiritus in memoriam ea quæ tu dixisti. Firmiter retineamus fundamentum sanæ doctrinæ prolatae ex sinu tui Patris, non quæramus nouos & Enthusiasticos raptus extra & præter verbum: Non excogitemus commenticia numina & cultus, sed tantum sequamur ea quæ tu dixisti. Mundus quærit voluptates, quærit conseruationem sui status, suæ gloriæ & opum: præcipuè vltima ætas delira est & epicurea. Sed tu corda nostra perfunde vera pace, qua nos sustentemus in lucta conscientiæ pugnantis corâ iudicio Dei, & in agone, quando fiet separatio animæ & corporis: Tunc dato vt memores simus tuæ vocis, Non turbetur cor vestrum: Vado & redeo ad vos. Nunquã subtrahes nobis tuum dulcem conspectum in anima, & certo redibis, vt nos resuscitados in tuum regnum colloques. Latamur igitur de tuo abitu ad Patrem, quia Pater maior te est. Tu nobis parasti locum & beatam mansionem in domo Patris tui, euectus ad dexteram Patris, & retines respectus personæ missæ vsque ad finem mundi. Non desine nobis applicare merita tui sacrificij, semper pro nobis interpellas, manes sacerdos & rex noster, donec regnum Patri tuo trades. Verè igitur vt mediator à diuinitate mittente impetras illa bona, quæ promisisti credentibus. Tu fuisti

N

victor



victor in lucta cum Diabolo, vt nos frueremur  
 tua victoria: posuisti animam tuam volens, vt  
 esset *λύτρον* pro multis, præstitisti obœdientiam  
 æterno Patri in illo cursu humiliationis, vt tua  
 morte nobis restitueres vitam. Obsigna igitur  
 in nobis hanc fidem & iusticiam. Facito vt per-  
 petuò maneamus fideles custodes tui sermonis,  
 vt fruamur tua pace, vt perpetuò in nobis ha-  
 bitet diuinitas in hac vita per primitias, donec  
 in vita æterna adipiscamur decimas, & tibi si-  
 miles, cernentes Deum facie ad faciem, efficiamur,  
 A M E N.

D I E S E C V N D O I N P E N -  
 T E C O S T E .

F V I T Nicodemus homo Philosophus, eru-  
 ditus inter Phariseos in doctrina Græcorum:  
 audiuit inter philosophiam esse meditationem  
 mortis: quia homo modestus assuefactus ad  
 commonefactiones de virtutibus rectius com-  
 munes ærumnas vitæ tolerat, & minus formi-  
 dat mortē, quam iudicat esse iter vel ad immor-  
 talitatem, vel ad talem statum, qui erit sine  
 sensu malorum. Sed ista puerilia *θεικτῆρια* non  
 magis tollunt pauores cordis, quam folium fici  
 tegebat nuditatem primorum nostrorum paren-  
 tum. Tu autem Domine I E S V C H R I S T E  
 infirmo huic scholastico monstrasti alexiphar-  
 macum indubitatae efficacitæ: Sic D E V S dilexit  
 mundum, &c. Pondera verborum sunt admi-  
 randa,



randa. Tu nate D E I ea infigito nostræ ani-  
 mæ tunc, quando luctabitur in terribili agone  
 coram iudicio æterni Patris tui. Terret nos aspe-  
 ctus & sensus nostræ indignitatis: Ante tuos o-  
 culos nil nisi culpa sumus. Sumus rei, immundi,  
 inquinati sceleribus horribilibus. Vniuersa dis-  
 ciplina & iusticia humana, etiam in melioribus,  
 in conspectu tuo est sicut turpis pannus mulie-  
 ris menstruata. Sumus ἐπιτρόματα, similes im-  
 perfecto foetui, quem languida mater ante ma-  
 turitatem proijcit, spectaculo tristi & abomina-  
 bili. D E V S autem ignis consumens est, & ira  
 ipsius creaturis nō est tolerabilis. Aduersus hunc  
 arietem quatientem animam luctantis peccato-  
 ris, tu pronunciaisti hoc mirabile axioma. D E-  
 V S bonum infinitum, qui nulla alia re ad bea-  
 titudinem suam eget, qui ex ordine iusticiæ  
 hominem lapsum perdere poterat & debebat,  
 dilexit, admiranda σοφίῃ complexus est mundū.  
 Genus humanum reum & damnatum, auer-  
 sum à D E O, expugnatum à diabolo, qui est ho-  
 stis Dei: tamen viscera æterni Patris misericor-  
 dia mota sunt propter interitum hominis, qui  
 non peccauerat peccato blasphemix, sed fuit  
 deceptus à diabolo, & pro quo F I L I V S erat de-  
 precatior. Ita vero & ardenti & flagranti amore  
 dilexit, vt F I L I V M suum vnigenitum daret. O  
 enallagen admirandam. Impressit Deus huma-  
 no cordi σοφίας, amorem ardentissimum erga  
 sobolem, vt sint commonefactiones de amore  
 æterni Patris erga Filium εἰκόνα καὶ λόγον σου, in

N S quo



quo lucet integra & substantialis imago æterni Patris, qui est ἀπαύγασμα gloriae & lucis æterni Patris, in quo tota sapientia Patris fulget, & ut sint commonefactiones de amore Dei erga miserimum genus humanum. Iam cogita, hunc suum vnigenitum FILIUM, qui omnia fecit & sustentat verbo potentiae suae, DEVS dedit. Donauit eum nobis & mirabilem fecit permutationem. Vnum est pulcherrimum in cælo in conspectu DEI: Iusticia DEI. Vnum est tristissimum & terribilissimum in inferno, peccatum. Rem damnatam & execrabilem æternus Pater in Filium proiecit. Eum qui non nouit peccatum, in quo est illa integritas, quam essentia diuina postulat, quæ descripta est in lege, eum fecit peccatum, eum voluit esse hostiam & victimam pro peccato. Neq; enim ira DEI aliter placari potuit, nisi per sufficiens & æquiualens precium, per mortem Filij Dei. In nos verò transfertur ornamentum omnium summum, iusticia DEI. Ideo enim missus est Filius DEI, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non sedet Deus in cælo, & cõdit fatales tabulas peccatorum, hominum saluandorum aut damnandorum. Non est in DEO προσωποληψία. Filius DEI persoluit æquiualens precium pro peccato totius mundi. Meritum Filij Dei in infinitum maius est quam totum regnum peccati. Ideo mandatũ arguens peccata hominũ vniuersale est: Promissio etiam remissionis peccatorum & vitæ æternæ verè & sine simulatione vniuersalis est. Non  
sunt



sunt in Deo voluntates contradictoriae. Est Deus verax. Te igitur Iesu Christe iuuante in omni tentatione nos in hac vniuersalē includimus, & articulū fidei ex tua declaratione constanti mente ita pronunciamus. Credo remissionē peccatorū dari non tantum Abraham, Paulo, Petro aut paucis quibuldā, sed mihi etiam, sine dubitatione Pyrrhonia aut pontificia. Tua missio & egressio ab æterno Patre est opus misericordiae, totū Euangelium tuum est miranda *inimica* legis, nō vox damnationis & iudicij. Ordo redētionis est declaratio immensae tuae bonitatis. Tu missus es in mundum, vt mundus per te saluetur: pereuntes sua culpa pereunt, tu nec vis, nec efficis, nec approbas peccatum, nec impellis ad peccādum. Perditio tua ex te est Israël, ex me tantum salus. Nec credens in nomē vnigeniti Filij Dei, manet in numero damnatorum, libera sua voluntate. Declaratio verò iudicij illius nō petitur ex arcana tua voluntate, sed ex voluntate reuelata & patefacta. Tua lux, vox tuae promissionis ab exordio mundi publicè sonuit, arguēs peccata humani generis, & monstrans sanationē: sed peruersi homines fascino a diabolo luci pretulerunt nebras. Maxima pars hominū mansit idolatrica, discessit a veritate ad mendacia, & mersa est in tetrum chaos idolorum & turpitudinis. Te ipso in carne docente, docentibus tuis Apostolis, diabolus multorū corda tenuit captiua, vt veritati non assentiretur. Regeneratio requirit nouā obedientiam. Non. n. tu Fili Dei sudasti sanguinē,  
aut



aut ideo passus es, vt homines furentes suis impijs cupiditatibus indulgeāt. Sed homines profani nolunt accusari suam immundiciem, nolunt Euangelio obcedere, nolunt luctari cum diffidentia & malis inclinationibus, ideo lucem oderunt. Verum faciens veritatem, ille in quo lucet veritas æterni Patris, Filius DEI per Euangelium & Spiritum sanctum veras noticias & veros motus accendens luce Euangelij, lætatur, Spiritui arguenti reuerenter se subijcit, illi obcedit, & opera sua DEO conformia effici patitur. Nunc te FILII DEI oramus, luceto in nostra mente, accende veram agnitionem tui & æterni Patris tui in nobis, in agone loquere hanc voluntatem tui Patris in nostra anxia corda, & hanc veritatem tuo Spiritu confirma, vt hanc sacram anchoram constanter retineamus, vt efugiamus iudicium, & te vera fide apprehendentes liberemur è tenebris mundi, & per te habeamus vitam æternam, AMEN.

DIE TERTIO IN PEN-  
TECOSTE.

Tv es Dominus noster, nos sumus oves pascuæ tuæ. Ideo fuit conditum genus humanum, vt Deus haberet gregem cui communicaret pascua æternorum bonorum, in quo ouili-  
ianua fuit Filius DEI λόγος, patefaciens omnem voluntatem Patris, & implens hominem societate illarum rerum, quæ in Deo sunt optima,



mx. Hanc harmoniam turbauit impius & blasphemus latro Diabolus: Is fastidijt ianuam DEI, superbè Filium Dei contempsit, pugnavit cum eo de antecellentia, abiectus fuit ex grege angelico in æternam damnationem: Is odio DEI inuasit gregem alienum, ascendit aliunde, abduxit hominem à verbo reuelato, à mandato DEI ad proprias speculationes, rapuit DEO suum peculium, & miseros homines captos spoliauit & maectauit. Sed tu FILI DEI non es euerfus potentia & calliditate diaboli, Tu manes via, veritas & vita. Tu rursus constitutus es vt sis porta cœli, reuocas errantes oves in veram viam, & reddens illis pabulum vite, manans ex mente & pectore æterni Patris tui. Tu idem es bonus pastor, ornatus substantiali bonitate Patris tui, ardens bonitate erga homines, tibi ianitor aperit, te æternus Pater exaudit, dedit tibi omnem potestatem in cœlo & in terra, de te dicit testimonium Spiritus tuus, aperiens corda credentium, & ducens eos per te, qui es porta veritatis, in æternam vitam. Tua vox dulcis est in auribus tui gregis. Oves tuæ vocem tuam audiunt. Soli illi sunt membra tuæ Ecclesiæ & gregis, qui amplectuntur vocem abs te patefactam, & tuo Spiritui obœdiunt. Tu ouiculas tuas mœstas & languidas affaris foris tua dulci voce sonante in ministerio: Intus tuus Ianitor corda reserat, vt te loquentem exaudiant, & sermonem tuum esse verba vitæ intelligant. Tu oves tuas nomine com-

ne com-



ne compellas, nomine longè suauissimo. Dediti eis potestatem vt filij DEI nominentur. Baptizati sunt in nomen diuinitatis, adoptati sunt à tuo Patre ad hereditatem æternæ vitæ. Nati sunt ex DEO. Hoc dulcissimum nomen discernit eos ab omnibus impijs cateruis, quæ sunt ex patre Diabolo. Tu oues tuas insignitas tuo nomine, tuo caractere, educis in mundum, vt sint testes de tua persona & officio. Non autem tuos relinquis orphanos, non discessisti à nobis, ita, vt tibi benè sit, nobis malè. Verè nobiscum es vsque ad consummationem sæculi. Præcedis tuum gregem, doces, regis & tegis tuam Ecclesiam, pascis tuos credentes tua viuifica præsentia, tua consolatione, reprimis tyrannidem diaboli, qui conatur delere veram tui agnitionem in genere humano: Te dociles tuæ oues sequuntur, ex te hauriunt alimenta vitæ, & te docente & gubernante vident omnes voces discrepantes à tua. Sola tua vox est norma veritatis, regula fidei & inuocationis. Secundum eam & non aliter vis coli & inuocari. Est alius grex magnus formidabilis, quem ducit latro diabolus. Is venit ante TE, antequam tu fuisti constitutus Mediator, in statu integritatis auulsit hominem à tuo grege, & subinde in genere humano stabilit blasphemias contra Deum, & præcipitat homines in tristia scelera odio Dei & in æternum exitium. Habet is suos ministros, falsos doctores & Tyrannos, qui omnes veniunt ante TE, te non præeunte & mit-



& mittente: Sed vt cura vigilis & fidi pasto-  
 ris etiam in media rabie luporum aliquæ ou-  
 culæ gregis seruantur: Ita tua potentia & bo-  
 nitate **F I L I D E I** reprimis fures & latrones,  
 vt non possint facere vniuersales dissipaciones,  
 vt non totum genus humanum possint perde-  
 re. Tu sedes ad dexteram tui Patris, & subinde  
 mittis fidos (doctores) pastores, per quorum  
 ministerium tu potenter es efficax, & credenti-  
 bus verè & substantialiter præsens es. Iuua nos  
 ô fidissime Pastor, vt tuis beneficijs rectè frua-  
 mur: Fac vt per te, qui es via & ianua salu-  
 ris, ingrediamur. Fuimus projecti foras ad æter-  
 num exitium propter peccata: Tota cohors,  
 etiam impiorum diabolorum & hominum, pro-  
 ijcietur in tenebras exteriores, à beato conspe-  
 ctu **D E I**: sed te ducente redibimus in viam. Tu  
 ducito nos ad tuum Patrem tuo verbo & tuo  
 Spiritu. Via illa ignota est creaturis omnibus:  
 Tu illam sapientiam quam protulisti ex sinu Pa-  
 tris tui, nobis patefacito: Ita saluabimur: Tu  
 enim es saluator noster merito & efficacia: Do-  
 nabis nobis remissionem peccatorum, & ha-  
 bitabis in nostra natura per tuum Spiritum ve-  
 ra & reali communicatione. Illo Spiritu tibi  
 vniemur: ingrediemur te monstrante & loquen-  
 te, cernemus pectus æterni Patris tui, intel-  
 ligemus **D E V M** nobis esse placatum tuo meri-  
 to: ingrediemur secundum tuam veritatem, eri-  
 mus propagatores tuæ doctrinæ in fide & bona  
 conscientia, inueniemus pabulum inter ærum-  
 nas,



nas, inter pericula, quæ comitantur confessionem, in mœsticia & anxietate cordis experiemur tuam præsentiam, quæ est gustus æternæ vitæ & læticiæ. Procul depelle à nobis immanem latronem, qui venit ut perdat & mactet, multos tua potentia eripe ex faucibus istius. Nihil ipsi debetur nisi pœna. Sed tuo Patri debebatur λύτρον, quod abs te sufficienter est persolutum: Ideo tu, qui venisti ut habeamus vitam, & vitam abundantem, talem beatitudinem quæ in cor hominis non ascendit, nos miseros & infirmos seruato in tuo ouili: defende nos aduersus omnem potentiam hostium tuorum: Rege & tege nos semper: Compellato nos dulci nomine tuo: Sumus os de ossibus tuis & caro de carne tua: non igitur carnem tuam desereres, sed eam pasces, sustentabis & seruabis ad vitam æternâ & gloriam perpetuam, Amen.

DOMINICA TRIVM PERSONARVM DIVINITATIS.

AETERNE, viue, vere & omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi: qui cum Filio tuo & Spiritu sancto mundum & omnes res creasti. Te alloquimur secundum verbum abs te patefactum, & segregamus nostram inuocationem ab omnibus compellationibus Ethnicis, Iudaicis & Mahometicis. Vagantur impiæ & profanæ mentes, excogitant noua & commenticia numina, aspernantur Filium Dei



**DEI** Dominum nostrum Iesum Christum: Ma-  
 ledicunt Spiritui sancto, contaminant se horri-  
 bili idolatriæ & scelerum turpitudine. Sed nos  
 compellamus te verum & vnicum Deum pate-  
 factum generi humano in creatione, & in pro-  
 missione de redemptione hominis. Tu es æter-  
 nus Pater qui ab initio genuisti Filium imaginē  
 tuam, & in illam transfundis tuam essentiam,  
 omnipotentiam, omniscientiam & omnes vir-  
 tutes: Ille est λόγος non solum quia cogitatio-  
 ne gignitur, sed quia in ipso lucet omnis sapi-  
 entia tua, & per eum patefit creaturis. A te  
 & ab æterno Filio egreditur substantialis flam-  
 ma & agitor Spiritus, copulans tres personas  
 distinctas in vna & eadem essentia. Tu vnā cum  
 Filio & Spiritu sancto hunc mundum & natu-  
 ras in illo, verbo omnipotentia tuae ex nihilo  
 produxisti, & singularum rerum substantias ser-  
 uas, quādiu vis illas esse superstitēs: destruis  
 etiam illas vbi vis, tueris ordinem politicum,  
 & quicquid est ordinis in vita, manet & custo-  
 ditur te custodiēte & protegente. Tu in prima  
 creatione transfudisti in naturam rationalem,  
 angelos & homines, radios tuæ sapientia & bo-  
 nitatis, & postea promulgata lege tua descripsisti  
 te qualis sis & quales velis esse omnes creaturas  
 rationales, vt tibi sint conformes. Tu es mens  
 æterna, intelligens, sapiens, omnipotens, iusta,  
 benefica, casta, verax, amans creaturarum, quæ  
 tibi sunt similes: irascens verè omnibus naturis  
 contaminatis, & delens eas tuo iudicio immu-  
 tabili

○

tabili



tabili: Te inuocamus supplices, miserere nostrum  
 secundum promissionem tui FILII: ablue nos  
 cruore tui FILII ab omnibus peccatis nostris:  
 Effunde in nos de tuo Spiritu, & fac nos parti-  
 cipes tuæ diuinæ iustitiæ: Semper collige tibi  
 inter nos Ecclesiam: serua tibi aliquod semen  
 sanctum in genere humano. Serua politias quæ  
 sunt hospitia tuæ Ecclesiæ: fac nos vasa miseri-  
 cordiæ & organa salutaria Ecclesiæ, Reipub. &  
 animabus nostris. FILII DEI Domine Iesu  
 Christe, tu es εἰκὼν & λόγος & æterni Patris tui,  
 in te lucet plenitudo essentiæ, sapientiæ & boni-  
 tatis Patris: Tu es lumen de lumine, ἀπὸ φύλα-  
 σμα lucis paternæ: In te fulget essentialis radius,  
 manans & propagatus ex mente tui Patris: Tu  
 es λόγος & ita nobis patefactus es, quod sis per-  
 sona (loquens,) per quam Pater omne decretum  
 de creatione & redemptione hominum loquitur.  
 Tu ex bonitate inenarrabili factus es deprecator  
 pro genere humano lapsio: factus es Mediator  
 & Saluator merito & efficacia tua: Induisti no-  
 stram naturam, & in ea persoluiisti precium pro  
 peccatis nostris: & nunc sedes ad dexteram tui  
 Patris, vt sis perpetuò Rex & Sacerdos noster,  
 semper viuens & interpellans pro nobis. Tibi  
 pro tuis beneficijs agimus gratias, & te oramus,  
 adiungito nos tuæ Ecclesiæ, remitte nobis no-  
 stra peccata: sanctifica nos tuo Spiritu, inchoa  
 in nobis initia æternæ vitæ, & nos liberatos  
 ab omnibus malis transferas in regnum tuum.  
 Spiritus sancte DEVS, qui es substantialis flam-  
 ma



ma & amor inter æternum Patrem & Filium, egrediens & ingrediens in eiusdem essentia communicatione, qui visibili specie columbae in Baptismo Christi apparuisti, & in linguis Apostolorum specie flammaram fulsisti, tu nobis es patefactus, quod sis persona, quam æternus Pater & Filius mittunt in corda credentium, ut in eis veram iusticiam & vitam inchoares: Nostras igitur etiam mentes illustra lumine verae agnitionis Dei, nostram voluntatem flectito ad veram assensionem & fidem, renouato nostram corda ad veram obœdientiam, ut perpetuè maneamus copulati cum vero D E O, in similâ luce, iusticia, integritate & lætitia, Amen.

EX LECTI O N E D O M I N I -  
C A E T R I N I T A T I S.

D V L C I S & erudita fuit tua nocturna homelia cum pio Nicodemo, F I L I D E I: Tu arundinem quassaram non frangis, & linum fumigans non extinguis. Gestas & ducis nos infirmos, & vis ut tua Ecclesia etiam infirmos in fide suscipiat, & errantes in mansuetudine arguat, donec ex tua voluntate veritatem agnoscant, & ex laqueis diaboli liberentur. Conuictus miraculorum euidentia docilis Nicodemus statuebat, te esse Doctorem à D E O missum, similem Moyse & Prophetis, & te futurum esse instauratorem illius politia, & monstratorem honeste vitæ & disciplina, quam somniabat esse iusticiam  
O 2 Dei,



Dei. Huic opinioni Pharisaicæ Filius D E I op-  
 ponit propositionem egregiam: Nisi quis rena-  
 tus fuerit, &c. Nostra hæc natura est mortua, est  
 rea in conspectu D E I, est quiddam damnatum,  
 & sensus carnis est inimicitia aduersus D E V M.  
 Opus est igitur regeneratione & conuersione  
 hominis ad Deum. Iusticia D E I & regnum D E I  
 non est opus humanæ naturæ, nec bonum quod  
 hæc natura aut intelligere aut efficere potest  
 sua vi. Tu existimas me esse doctorem Socrati-  
 cum & Philosophicum, sed ego affero sapien-  
 tiam longè positam supra & extra conspectum  
 creaturarum, concionor de corruptione &  
 reuocatione hominis. Hæsitante deinde &  
 hallucinante tuo infirmo discipulo & eodem in  
 rebus diuinis cœcutiente, modum etiam ei re-  
 nouationis exponis: Nisi quis natus fuerit ex  
 aqua & Spiritu, &c. Tua bonitate institutum  
 est ministerium Christe, cui tuus ille Spiritus  
 verè est præsens. Soli igitur illi vident regnum  
 D E I, qui sunt in cœtu vocatorum, qui audi-  
 unt, discunt & amplectuntur tuam vocem so-  
 nantem in ministerio, in illis Spiritus sanctus est  
 efficax: Abluuntur à sordibus inquinatæ natu-  
 ræ, & renouantur ad nouam & spiritualem vi-  
 tam. Nostra tota natura caro est, omnis iusti-  
 cia humana est tantum rectio externorum gestur-  
 um, & intus in illis qui sunt optimi, assuefactio  
 potentiarum naturalium ad quandam modesti-  
 am & ordinem conuenientem vitæ: sed in electis  
 oportet vt nascatur nouus homo, conditus ad  
 imagi-



imaginem tuam, qui producitur à Spiritu san-  
 cto transformante nos ad nouam sanctitatem,  
 spirante in nobis tuam lucem, & tales motus  
 quales in Deo & in natura humana Christi ful-  
 gent. Arcana res est illa salutaris agitatio in ho-  
 mine. Et umbras rerum diuinarum Deus in crea-  
 tione pinxit. In nostra natura mens cogitando  
 format imagines rei cogitatae, voluntas mota  
 eligit, & in corde per effusionem spirituum ci-  
 entur motus. Ita & Filius DEI est imago aeterni  
 Patris, & inter Patrem & Filium substantialis  
 unio per eundem Spiritum, & sanctis Patrem  
 suum ostendit λόγος, & illi patefactioni exci-  
 tat congruentes motus per suum Spiritum. Ita  
 flatus ex tua ordinatione excitati in hominibus  
 aliquo modo pingunt sanctas agitationes, effe-  
 ctas à tuo Spiritu. Tu producis ventos ex tuis  
 thesauris, & mirabiliter hanc mundi machinam  
 concutis & repurgas. Ita ex tuo & aeterni Patris  
 tui pectore egreditur arcano modo tuus sanctus  
 flatus, cuius effectiones non intelliguntur &  
 capiuntur à sapientia humana, & non est visi-  
 bilis aspectus rerum diuinarum in hac vita: sed  
 satis est, quod vocem eius audimus, quod do-  
 cente & regente nos tuo spiritu tuae voci assen-  
 timur, & ad aeternam vitam renouamur. Ma-  
 gnæ fuerunt tenebrae, deploranda caecitas fuit,  
 quod doctores in illo populo non intelligebant  
 doctrinam de poenitentia. Similis caligo etiam  
 nunc est in mundo, in illo loco qui habet no-  
 men ordinariae successionis: Tu FILI DEI

O 3

illas







## T Y P O G R A P H V S.

E T S I non ignorabamus, his precationes non esse scriptas eo ordine, quo solent lectiones Euangeliorum diebus Dominicis & alijs Festis in Ecclesia proponi: tamen nolimus recedere à serie seruata in manuscripto, & maluimus potius subiungere indicem, in quo lector si vellet posset ipse per numerum pagellarum diebus dominicis assignatum indagare, quæ precationes sint cuiq; lectioni Euangeliorum dominicalium, seu aliorum Festorum accommodandæ. Et quia aliquoties occurrunt chronologicæ notationes, voluimus etiam hoc monere lectorem, esse has precationes scriptas circiter ann. 65. 66. & 67. à quibus tanquam terminis retrò numerari debet supputatio, ne quis ignarus ab editionis tempore fortassis eam inchoet. Euocatus est autem ex hac mortali vita author harum precationum, Medicus præstantissimus & Theologus optimus, anno Dom. 1573. die 21. Ianu. cum vixisset annos 40. & menses circiter tres, septimo anno post, quàm has pias meditationes concepisset, quib. tamen non planè extremarum adhibuit, sublatus nimirum immatura morte, non sine suspitione veneni clam illi subministrati.



I N D E X P R E C A -  
T I O N V M S E C V N D V M  
S E R I E M E V A N G E L I O R V M D O -  
minicalium & Festorum.

<b>D</b> ominica Aduen- tus pagina 62	Dom. II. post Epi- phan. p. 90
Dom. II. Aduentus p. 64	Dom. III. post Epi- phan. p. 94
Dom. III. Aduentus p. 66	Die conuersion. Pauli p. 93
Dom. IIII. Aduen- tus p. 69	Dom. IIII. post Epi- phan. p. 98
Die Thomæ Apostoli p. 67	Dom. V. post Epiphani- p. 100
Die Natiuitatis Do- mini p. 72	Dom. Septuagesimæ p. 101
Die Stephani proto- martyris Christi p. 75	Dominica Sexagesi- mæ p. 103
Die Ioannis Apostoli p. 77	Domin. Quinquagesi- mæ p. 109
Die puerorum inno- centium p. 80	Die purification. Ma- riæ p. 96
Dominica post nata- lem Christi p. 82	Dom. Quadragesimæ seu Inuocant. p. 111
Die circumcisionis do- mini. p. 84	Domin. Reminiscere p. 116
Die Epiphaniarum Domini p. 86	Dom. Oculi p. 119
Dom. I. post Epipha- nia p. 88	Die Matthiæ p. 106
	Dom. Letare p. 122
	Dom. Iudica p. 130
	Dom. Palmarū p. 122
	Die

*D. Nicolai abstinere in quibusdam virtute  
Genere Atta et obta in infantia vbi  
sancti Simon sobrius et munitur p. p. p. p.*



I N D E X.

Die institutæ coenæ p.	134	Die Pentecostes pag.	7. & 182
& effusæ ardentissi-		Feria II. Pentecostes	p. 8. & 188
mæ precationis in		Feria III. Pentecostes	p. 8. & 172
horto p. 138		Dom. Trinitatis p. 9.	196. & 199
Die Christi expirantis	p. 142	Die corporis Christi	p. 9.
Die paschatos p. 1. &	149	Dom. I. post Trinita-	tis p. 12
Feria I. Paschatos p.	1. & 153	Dom. II. post Trini-	tatis p. 14
Feria II. Paschatos	p. 2. & 156	Dom. III. post Trini-	tatis p. 16
Die Annunciationis		Dom. IIII. post Tri-	nitatis ibid.
Mariæ p. 71. 126		Dom. V. post Trinit.	p. 18
Dom. Quasimodoge-		Die natali Ioannis Ba-	ptistæ p. 11
niti, siue in Albis	p. 159	Dom. VI. post Trini-	tatis p. 20
Domin. Misericordias	p. 3. & 162	Die Petri & Pauli A-	postolor. p. 13
Dom. Iubilate p. 4. &	170	Visitationis Mariæ p.	15
Dom. Cantate p. 4. &	173	Dom. VII. post Tri-	nitatis p. 21
Dom. Vocem Iucun-		O 5	Domi-
ditatis p. 5. & 175			
Die Ascensionis Do-			
mini p. 5. & 177			
Die Philippi & Iacobi	p. 3. & 165		
Dom. Exaudi p. 6. &			

*Ein facit te sine Ho, non justifiabit te sine Ho*



*plato.*  
*dominus magis de inimicis quam amicis proficiunt*  
*quia cum inimici eis exprobrant ipsorum vitia singe et*  
*monstrant. amici vero de amicorum amicis sibi absterunt*  
*vim ta*  
*cent in*  
*vitij ma*  
*gis eos con*  
*ferant*

I N D E X.

Dom. VII. post Trinitatis	p. 23	Domin. XVII. post Trinit.	p. 46
Dom. IX. post Trin.	pag. 26	Domin. XVIII. post Trinit.	p. 47
Die Mariæ Magdalene	p. 18	Die Matthæi Apostoli	p. 40
Die Iacobi Apostoli	p. 19	Dominica XIX. post Trinitatis	pagina 48
Dom. X. post Trinit.	p. 29	Die Michaëlis Archangeli, siue sanctorum Angelorum	p. 42
Dom. XI. post Trinitatis	p. 30	Dominica XX. post Trinit.	p. 52
Dom. XII. post Trinitatis	p. 37	Dominica XXI. post Trinitat.	p. 54
Die assumptionis Mariæ	p. 25	Domin. XXII. post Trinitat.	p. 55
Dom. XIII. post Trinitatis	p. 38	Domin. XXIII. post Trinit.	p. 56
Domin. XIII. post Trinitatis	p. 41	Die Simonis & Iudæ Apostol.	p. 49
Die Bartholomæi	p. 27	Dom. XXIII. post Trinit.	p. 58
Die decollationis Iohannis Baptist.	pag. 28	Die omnium Sanctorum	p. 50
Dom. XV. post Trinitatis	p. 43	Domin. XXV. post Trinit.	p. 22
Dom. XVI. post Trinitatis	p. 45	Domin. XXVI. post Trinit.	p. 59
Die Natiuitatis Mariæ	p. 32	Die	



I N D E X.

Die Andreae	p. 61	Precatio contra rabi-
Precatio Apostolorum		em Turcicam pagi-
Festis	p. 70	na 33

*Deus meus tu es no deseras a me,  
 quoniam tribulatio proxima est, et tu es  
 qui adiuvas. tu a. Deo no claudere  
 auxilium tuum a me ad liberationem  
 meam.*

L I P S I Æ

IMPRIMEBAT MICHAEL  
 LANTZENBERGER.

---

ANNO M. D. XCVII.

*Jacob Myra.*

*Scilicet ex omni mundi jam parte*

*Intereunt <sup>Senescit</sup> homines verber, intereunt*

*Quin et totus <sup>Germine</sup> victum lassata recessit*

*Harum de multis spica refertur agris*

*Et sua confecta claudunt jam brachia*

*Et miris <sup>Vitis</sup> et praelis multa fraguere  
 eunt*



Nam tanto parva, regna ac elemen-  
ta feruntur.  
Quo vicina magis, sunt eo ami-  
ca minus.

Gabriel Colonas viri gubernator  
Abbasque Thut. Diaconus in Corinth  
Sabb. in Jon. Neandros, græce  
gubernator. <sup>Optimus</sup> Thut. Thut.  
Causa Thut. gubernator, Thut. glori-  
osus, Causa Thut. Thut. de Thut.  
hoc est Thut. Thut. Thut. Thut.  
tunc tunc tibi ac salvis ad Thut.  
semper receptus. Thut. Thut.  
ominino Thut. Thut. Thut. Thut.  
cia Thut. Thut.



Eine öffentliche Beicht  
täglic zu Gott zu pflich.

Ich Armer Sünder Mensch bekann  
ich öffentlich, das ich meinem Gott  
soffer und so <sup>son. d. h.</sup> nicht recht ge  
liebets habe, seiner heilig, gebots  
wie kind recht gehalten, seinem göt,  
liebe, willer, trostlich wider,  
trabets habe, auch brüder liebe lie,  
be gegen meinem nachbar, noch nie  
recht be crigets habe. Da mein natur  
empfangnis und geburts ist sündlich,  
ich will pflich, I gott loben und  
zu danken, I gedanken, gegen Gott  
und meinem nachbar, ein böser Mensch,  
kriefft barm hertze bin, ich erwidere und  
von Natur ein kind des zorns, dist  
alles was ich kann haben magh so







Tres dies Christianorum

1. Freytag oder Märter  
tagk.

Der Freytag wisset die klaine Zeit  
Wille wir loben auf Gedans  
Mit Jamerdust und schouwidt  
Darau erübt wir werden  
Ist macht Adam und unser sültes  
Woll sein der ein cranz mit gadeit  
Ihm sein also nachtragt

2  
Sabbath oder Ruchttagk

Im Sabbath komon wir zu ruf  
All cranz wirts wogk gnommen  
Weyn und ist gese die aug, die  
Und unser stund ist komon  
Ihm tragt man unser Ruchlein  
Darin gar saufft wir pflafft aus  
Ziff und der sein anpflack



Der o<sup>3</sup>stertagk oder ewiger  
Freudentagk.

Dann künfft der freilich o<sup>3</sup>stertagk,  
So worden wir auß dem  
Dort so ist dem Hüb nicht falch magk,  
Auch gegen unsern gebor  
Christo. Hüb wir in ihm sein  
Loben in freuden singlich  
Herr Geist das selb Hüb Hüb

In papalen dominium  
Wird die Landt. (nicht fort, Jahre  
für Landt. (nicht fort, Jahre  
für Landt. (nicht fort, Jahre

Obstet damit noch nicht an?  
Sag dein furcht ab?  
Dan was die klugheit ab dem  
furcht soll furcht  
Allermit soll Hüb Brot halt  
das selb Hüb Hüb Hüb



Ein gebett für Zeit

Donnerstag und Freitag, I. R.  
mit dem

Almüthiger und barmhertziger Gott, ein starker  
himel und der Erden, und ein  
gütiger Vater unser aller, wir bitten  
denn alle für dich, das wir  
(Lider) nicht unsern mannigfaltigen  
sündlichen Sünden aller Zeit  
Lied und alle unsere Sünden  
dieser Sünden, aber weil du nicht  
Lied hast du unsern Sünden  
so dich wir dich unsern  
Gott barmhertzigkeit und durch  
dein heiliges Wort unsern  
Lied Jesu Christi, du wollest  
und nicht straffe nach unsern  
Sünden, sondern mit deiner  
Lied nach deiner großen barmhertzigkeit  
Gott, unsern Sünden





2 Vergeltet, und dein Vater lüßte sich  
zu dem Verrathen, sondern lüßte nicht  
mit wollest du gütlich sein  
das die Verrathen nicht  
so wenig, so allen, hat ab dem  
für Aber gefan, Aber sein in die  
der Vater dem Verrathen, und alles  
was wir haben sein dem Verrathen  
haben, wir haben die das  
hüßte und den ganzen Verrathen,  
das du nicht den Verrathen nicht  
den mit dem Verrathen, gütlich  
erfüllt und gütlich ist, und  
hüßte dem Verrathen, du wollest  
nicht, allein, und, dem Verrathen  
wenn, so ist die Verrathen und alles  
was wir haben gütlich, der  
Verrathen, für den Verrathen  
wäre, für den Verrathen der Verrathen







wo es ist unter gänge, und die  
berge mitten ins wasser sinken,  
wir beschon dir o gütiger Vater  
Muser Leib soll und alles was  
wir haben in Jesus hand, du  
erlöset uns von allen und be-  
rühret in aller Noth, der du  
bist und regierst im wasser  
bist und für Muser aller aller  
so grolob in recht gheit, Amen.

Prosa ex Cap: 50 Syracidis.

Danket Gott allezeit von groffe Ding  
an allen uren auf uren, der du die  
dein Leib an lobest ich ne solt und  
du alles güt, so golt und ein frö-  
lich, und werliche in unsern Fried  
für dich in Jesu, der sein grade  
bei du bleibe, und rühre  
so lange wir leben, Amen.



Se in gebet täglich die sprechen  
sonderlich nach dem essen, gewöhnlich  
auf dem 50 Cap: Jesu Dyrans.

J. J. G. 1603.

Laßt Euch Gott danken allezeit  
Ist Euch in alle Noth  
Ihm seinen Dank und Ehre groß  
Ihm die Herrlichkeit in allen Noth  
In Mutter Leibe lebendig  
Er Euch erhalt ganz gundiglich  
Herrn unsern Jesus Christus ganz lob  
Ihm unsern Herrn und Jesu gab  
O Gott gib uns mit Fried und Freud  
Ihm unsern Herrn und Jesu Zeit  
Ihm die Herrlichkeit in allen Noth  
Ihm die Lob und Ehre all gemein



Dain quad o Herr nicht so Anbawnd,  
Trost und an unserm Trost; und,  
Von allem Welt und quodiglis,  
Erlöset zeitlich und ewiglis.


## Armen

Sei uns Jesus und züchtige form zu bei dem  
Martini Commisij. D.  
Ich armer sündiger Mensch, bekenns und klage meinem  
Liebhabend. Ich in sunden myfang, und geborn also  
das in mir die natur nicht so gut, sondern voll sünd  
erweilt und das dieselbige augerue sündt mich  
oft zu falls bringet in unrichtige sündt, nicht  
gedanken, gebarden, wochen und wercken, wieder  
die welt und ander sachtel des g. geist. Gottes  
Ich erkenn und bekenns auch das ich den bosan  
digen menschen fleißig nicht mit allem ernst  
widerstehe, sondern liebes die sündt oft in  
mir forsch lassen und dadurch den g. Geist  
betrüben, in welchem ich gleich einem guten We  
sen habe langzeitlich das alle zeit d. kost  
an, d. ich zum guten Anwillig bin, der glaub ist  
fremd die liebe ist kalt, Ich erkenn aber und  
weiß auch, d. solches mancher sündt, selt ist. Bot  
te die sündt und der ewige Tod, das selben gezeu













*Fm 881 b<sup>3</sup>*

FORMVLÆ  
P R E C V M  
S V M T A R V M E X L E -  
C T I O N I B V S Q V Æ V S I -  
T A T O M O R E I N E C C L E -  
s i a l e g u n t u r ,  
C O M M O N E F A C I E N T E S  
D E P R A E C I P V I S D O C T R I -  
n æ p a r t i b u s , & m o n s t r a n t e s v s u m d o c t r i n æ i n  
e x e r c i t i j s v e r æ p e n i t e n t i æ & i n u o c a t i o n i s :  
C o n s c r i p t æ p e r  
D. I o a c h i m u m C u r æ u m .

15



97.

Impensis Valentini Vægelini.  
C V M P R I V I L E G I O .

